Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-298026-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-298026-p0002-6

7133.

20

1726, 8.

# DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA, DE PRAVITATE USURARIA,

Quam
*Sub Auſpiciis* SUMMI NUMINIS,
& Conſenſu
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,

8

PRÆSIDE
*VIRO CONSULTISSIMO, AMPLISSIMO, ATQVE EXCELLENTISSIMO,*
DN. JOH. CHRISTIANO PETERSENIO,
J. U. D. & CODICIS PROFESSORE CELEBERRIMO,
HODIEQVE DECANO SPECTABILISSIMO,
*FAUTORE atque PATRONO SUO ÆSTUMATISSIME COLENDO,*
Pro LICENTIA,
SUMMOS IN UTROQVE JURE
CAPESSENDI HONORES,
*IN AUDITORIO MAJORI,*
Anno MDCCXXVI. VII. Iduum Maji, horis Ante & Pomeridianis
publice defendet:
*HEINR. JOH. PET. WEIDENER,*
Roſtoch.

*Roſtochi*, Typis Jo. Jac. Adleri, *SER. PRINC. & Acad. Typogr.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-298026-p0003-1

# Proſpectus Diſſertationis.

PRÆFATIO *de* pravitate uſuraria *generatim agit, ejusdemque* fraudes *ac* incommoda *recenſens, Thema, finemque Diſſertationis inſinuat.*

TRACTATIONIS.

§. *I. Ex SALMASIO paucula repetuntur, & confeſtim de* Centeſimis *diſſeritur*

§. *II. Docetur, Quid de* Uſuris *inter ROMANOS obvenerit, cum REGIBUS adhuc parerent, usque ad* Millenarii IV. Sec. V.?

§. *III. Quid in ARISTOCRATIAM Ipſorum* uſuraria pravitas *invexerit?*

§. *IV. Quam miſer fuerit ſtatus* obæratorum? *& qualia remedia olim jam dederit SERVIUS TULLIUS Rex?*

§. *V. Quum & hæc evanuerint per crudelitatem TARQVINII* ſuperbi, *& per conſtituta* Decemvirorum, *quomodo LUCII PAPIRII miſerabili fato, maligni uſurarii quadantenus ſint ſtricti & coerciti?*

§. *VI. Dum & inter victorias ac triumphos graſſari nihilominus voluerint, quomodo a Tribunis denuo ſint ſubacti? Id qvod per* NOVAS TABULAS *peculiariter factum eſſe aliqui volunt; ut tamen*

§. *VII. DN. SALMASIUS in L. POETELIA ſubſtiterit, & de eadem firmius aſſeruerit, qvod ne illa quidem obtinuerit, adjiciens curioſa multa de* addictione; *Quod idem*

§. VIII. *Quoad LEGEM GABINIAM obſervavit Dn. D. HEINECCIUS; Ubi &, quid JULIUS CÆSAR effecerit &* Succeſſores *Ejus moliti ſint, amplius inſinuatur; ut*

§. IX. *Reliquorum etiam Imp. ſit habita ratio:*

§. X. *Ad* JUSTINIANUM *vero tandem traducatur vera illa gloria, quod* fraudibus foeneratricii *obviam iverit.*

§. XI. *Poſt ea adjicitur adhuc, quam nociva fuerit uſuraria pravitas?*

*& quam*

*& quam varii fuerint ejusdem modi? Id quod*

§. XII. *Ex Aliis adhuc confirmatur*

§. XIII. *Tandem de* fixo uſurarum modo *agitur, ut ſic peculiariter*

§. XIV. *Sit explicatum, quomodo* PAPÆI *uſuras promiſcue prohibentes, pravitatis tamen uſurariæ rei facti ſint?*

§. XV De IMPEPIO *vero* ROMANO *demonſtratur, quod* QVINCUNCES *in illo obtineant, cujus & Illuſtre documentum ex* JURE PATRIO *adfertur. Ut*

§. XVI. *Plenius ſic evincatur, quinam ſint* pravitatis uſurariæ *rei, ex* Conſtitutis Publicis? *Tunt autem*

§. XVII. *Docetur, quam horridæ ſint prævaricationes* JUDÆORUM *in cauſa uſuraria?*

§. XIX. *Quam & turpiter inter PAPÆOS eædem obtineat? Cujus rei gratia*

§. XX. *De* Contractu MOHATRA *agitur, isque deſcribitur & refutatur; Quod &*

§. XXI. *Ex* WENDROCKIO *continuatur. Hac occaſione etiam*

§. XXII. *De* MONTIBUS PIETATIS *diſquiritur & tolerabiles iidem habentur; Quod &*

§. XXIII. *Confirmatur; ut illorſum*

§. XXIV. *Referatur etiam* Contractus VITALITIUS. *Poſt ea*

§. XXV. *De* POENIS *agitur adverſus* pravitatem, uſurariam *conſtitutis; & quomodo eædem*

§. XXVI. *in* R. IMPERIO, *ſpeciatim itidem in* DUCATU Megapolitano & Urbe mea Patria *obtinuerint?*

§. XXVII. *Quæ cauſa ſit pœnarum? plenius docetur &*

§. XXIIX. *Quam ſcelεſte* GERMANI a Vetuſtis *ſuis defecerint* Proavis? *dum in cauſa uſuraria* (1) A RE AD REM. (2) A PERSONA AD PERSONAM.

§. XXIX. (3) A CONTRACTU AD CONTRACTUM.

§. XXX. (4) A MODO AD MODUM. (5) A NOMINE AD NOMEN.

§. XXXI. Tandem & (6) A TEMPORE AD TEMPUS, *aliisque illicitis modis, fraudem ſuam protraxerunt. Ubi & ex* B. LUTHERO *refutatur exceptio;* Quod officium faciant; *Et*

§. XXXII. Quod ditiores demum emungant. *Tunc vero*

§. XXXIII. *Juſtitia poenarum vindicatur & varius earundem modus. Atque ſic*

§. XXXIV. *Thema hoc abſolvitur.*

# PRÆFATIO.

STatim & eo ipſo momento, qvo Autoritate Superiorum, ſelecta mihi venerat materia, de PRAVITATE USURARIA, dubitare amplius non valui, num etiam hæc controverſia eſſet Diſſertatione ſolenniori digna? interea dum cauſæ propius accedens, eandem penitius inſpexi, certior omnino factus ſum, hanc materiam non tantum plus diſqviſitionis mereri, ſed & inter maxime neceſſarias collocari debere, ac fundamentum locumqve in multis cauſis & caſibus ipſi tribuendum eſſe.

Optimum, qvod omnes confitentur, eſt effatum Q. MUTII. *L. 2. §. 43. ff. d. O. J.* quod *turpe ſit, Ius, in qvo verſamur, ignorare.* Et certe, dum Seculum Noſtrum modernum, in oppoſitione ad anteriora tempora, florem ac prærogativas ſortitur non unas; qvantum ad ſtudia referri poteſt cultiora, qvantum ad mores adtinet ornatiores, qvantum ad Politias pertinet illuſtriores; ſinuoſis tamen doli ac fraudis laceſſitur multoties Furiis, atqve aliqvando, ſi mores privatorum ſpectaverimus, ita debilitatum ac perditum eſt, ut vix qvidem in melius verti poſſe, ac emendationis ſinceri-

oris inhabile ferme videatur ; Malitia enim hominum qvotidie, & fraudes ac doli, vel unoqvoqve momento, tam tetre, tam noxie creſcunt, ut ſi firma eſſet ea perſvaſio, uſuras, puta, originem ſuam exinde traxiſſe, qvod in Politiis præcavere voluerint Imperantes, ne ille qvi pecuniam ſuam mutuo dat, omni fructu careat, & ſic potius gradatim cum uſuris repetat ſortem ſuam ; Alter &, qvi eandem accepit, & in uſus ſuos vertit, non inmemor maneat obligationis ſuæ, qva ad refuſionem ſortis non modo, ſed & ad compenſationem proportionatam, ſecundum ipſum dictamen Juris Naturæ ducitur; mirareris merito, qvare tot abortus & monſtra, non in ipſo partu eſſent ſuffocata & abolita? Verum enim vero, qvam etiam honeſte ac juſte *Imperantes* hic conſpiraverint cum dictamine J. N., malitia tamen hominum tam mutuo dantium qvam accipientium, omnis in hoc fuit, ut limites ſancte conſtitutos dolis ac fraudibus interturbaret, & ſæpius debitor moroſus, vel plane neqvam, religioni ſibi non ducit, ut Creditorem tam uſuris, qvam ipſa ſorte, emungat; Creditores & multi ſortem non modo ſuam exercent, ſed & debitores enervare & expilare omni illicita ac probroſa via, non erubeſcunt, ut redeat antiqvam :

*Non miſſura cutem, niſi plena cruoris Hirudo.*

Adverſus veritatem qvidem offendit verum iſtud effatum : *Nova inventa lege, nova invenitur fraus.* Aſt proh! nulla eſt tam ſancta juſti atqve æqvi regula, qvæ non experiatur ſuos oſores & ſpurcos plane prævaricatores ; qvis eternim ignorat exceptiones, qvas in jure, miſerabili experimur praxi, qvibus moram non tantum accelerari creditoribus, ſed & eosdem a juſtiſſima ſua poſtulatione, ſi pote id foret, excluſos, & malitia debitorum penitus tam ſortis, qvam uſurarum Orbos ſe ſentirent? Neminem fugit jura per expreſſum id conſtituiſſe, ut in *Proceſſu gvarentigionato*, qvo agitur auf klare Hand, Brief und Siegel, executive ſit procedendum ; ſed vel hoc non adtento, qvilibet malignus operam impendit ſiniſtram, ut pro-

ceſſum

ceſſum divertat per innumeras ferme dilationum petitiones & alias ficulneas exceptiones : Eodem modo, qvod de uſuris accipiendis cautum eſt legum ac pœnarum vigore, id plures non ignorant, ſed tamen ad eadem adeo non attendunt, ut potius anxium debitorem magis adhuc exruciare & ad incitas plane redigere non vereantur. Interea manifeſtum inde, & ex utroqve qvidem capite, oritur *Reipublicæ* detrimentum, & irreparabile ferme damnum ; qvanti ſiqvidem Ejusdem intereſt, ut fides publica non concidat aut debilitetur, tanti etiam ſingulorum incommoda, noxas ac damna ducit; Et propterea ſolicite cavendum eſt *Imperantibus*, ne exſugantur ſubditi, & in miſeriam atrociorem devehantur, ubi nec ſibi, nec Reipublicæ amplius prodeſſe, inſervire, & officia ſua præſtare valent; Imo & hirudinibus ac ſanguiſugis talibus, qvi pravis uſuris ſibi, omnium injuſtisſime proſpicere moliuntur, ac maledictionem ſuam ſibi & familiæ ſuæ pernicius adtrahunt, obviam eundum eſt, ne protinus tam propria, qvam ea, qvæ ſunt aliorum, corripiant ac affligant. Reſcindi qvod etiam debeat proceſſuum tenacior amplitudo, qvando in *cauſis* MUTUI, coram foris ſic agitur, ut aliqvando dimidia ferme ſortis pars, judiciorum cedat miniſtris & malis practicis, judicia vero ipſa, ſubruantur ejurgiis atqve litigiis, eo ſaltem tendentibus, ut unius detrimento locupletentur alii ; id omnes profitentur ſinceri arbitri, imo dolent & deteſtantur. Qvid obeſſet ergo & qvid moram daret juſtis Imperantibus, ne omnium circumſpectiſſime præcurrerent, & rigidiſſima vindicta obviam irent his malis? Dives etenim, qvi pecuniam & gazas poſſidet, hæc incommoda & damna expertus, aut ex aliis exemplum capiens, dum facili alias animo mutuum daret aliis, metuit hic, & profundius ſcrutatur ac circumſpicit, numne ſit alius qviſpiam locus aliaqve Reſpublica, ubi floreat melior ſecuritas, exerceatur prompta Juſtitia, vigeatqve ſinceriſſima fides in ſolvendo? idqve ſi invenerit alicubi locorum, ſtatim juſtum ac æquam id habet, ut pecuniam ſuam alio transferendam ac deportandam curet : Ita vero poſt non longinquum adeo tempus, ditiorum pecuniæ inter

 pere-

peregrinos hærent iisqve proſunt, nec qvicqvè ſupereſt, niſi qvod in fixo loco, & parcius aliqvando conſumitur; Commercia vero florentiora, qvæ ſuper axillas humeroſqve Mammonæ, velut ſuper Coloſſum ſuum bajulantur, non retinet aliqvid, qvo ſuſtententur; atqve ſic infortuniis, omnium qvandoqve opinione celerius, ingruentibus, miſera inter omnes introducitur egeſtas: qvi namqve haberent, & ſuppetias facile ferrent, in manu ac poteſtate ſua id non amplius habent; Et qvi egent ſub ſuſpicione manent, ut vel fidem integram ſinceriſſime præſtaturi, non ſubleventur.

Inſtituti itaqve mei & præſentis DISSERTATIONIS *Solennioris* plenior ratio hæc eſt, ut his malis qvalitercunqve medear, *modoſqve varios, & adhuc modernos*, PALLIANDI USURAS, non modo recenſeam, ſed & PRAVITATEM hujus facinoris develem, ac qvidqvid JUSTUM eſt, circa has pravitates omni fideli modo exhibeam exigamqve: In ſpecioſo hoc negotio occupatus, nil de cætero, & ferventius deſidero, qvam ut infirmitatem virium mearum ingenue profeſſus, *Almi* NUMINIS ſapientia potiar, & a B. L. gratiam favoremqve iſtum nanciſcar, ut vel illa, qvæ volui & piis auſibus ſuſtineo, æqve boniqve conſulantur.

---

# TRACTATIO.

## §. I.

DE PRAVITATE USURARIA nunc ſpeciatim acturo mihi, tam ampla obvenit materia, quam quidem, ſecundum inſtitutum meum, lubenter exhaurirem, niſi tempus & occaſio contraiverint; faciam itaque in hoc themate, quantum potero; Et ſic generatim monere ac deſignare volui, quod *Eruditisſimus* SALMASIUS. *in Lib. ſuo peculiari: De modo Uſurarum, Cap. 2.* varium eundem docuerit, & ex circumſtantiis *Locorum*

& *Temporum*, item *Rerum*, quæ dantur, qualitate, & *Perſonarum*, tam, quæ accipiunt, quam quæ dant, conditione, a Magiſtratu impoſitum fuiſſe; Inde & alias uſuras in *Nautico* fœnore, alias in *communi* datas eſſe memorat, & quæ præterea tam Magiſtratui, quam ſubditis obſervanda ſint, non modo diſertius tradit, ſed & *Cap. II.* de moribus *Græcorum*, quoad hanc cauſam, *Cap. III.* De differentia communium & maritimarum uſurarum; *Cap. IV.* De multis privatarum legum generibus & nominibus, *Cap. V.* De nauticis & maritimis Uſuris adhuc in ſpecie, tam copioſe & egregie diſſeruit, ut ſiquis ſpicilegia fortean poſt meſſem inſtitueret, eo tamen ipſo magis ad *Critica*, quam ad *Juridica* duceretur. Mihi ergo, cum de his imprimis ſollicitum eſſe me jubeat ipſa Tractatio, id commodum magis viſum eſt, ut inter ROMANOS ſcrutarer, quid ibidem de *Modo uſurarum* obvenerit? facile itaque cognitu, & veluti evictum arbitror, quod ſub *Imperatoribus Romanis*, ante JUSTINIANUM, graviſſimæ uſuræ fuerint CENTESIMÆ, nec licuerit *majores* a quocunque exigere, ut tamen *minores* pro ratione temporum obtinuerint. CENTESIMÆ vero erant aſſis uſura omnium *maxima*, & ſingulis menſibus de *centum* denariis dabatur *unus*, adeoque vertente anno, denarii *duodecim*, vel noſtro loquendi more, *duodecim pro centenis* exigebat uſurarius: Manifeſtum id eſt, quod hæ uſuræ centeſimo menſe exequaverint ſortem ipſam. vid. SALMASIUS: de *modo uſurarum* pluribus locis, quos ex Regiſtro, non ſine multo uſu ac commodo conferes; Egit & ibi *p.* 309. de *Centeſima centeſima* & *p.* 188. de *centeſima JUSTINIANI*, pluribusque aliis curioſis; Cautionem etiam, qua ex *mora* promittebantur uſuræ centeſimæ. ex *L.* 40. *ff. d. R. C.* adduxit Dn. D. HEINECCIUS. *Lib III. Tit. XII. §. XII. p.* 90. ubi adjicit, quod legi huic jungi mereatur locus SIDONII, *Apoll. Epiſt. IV.* 24. & Marmor apud GRUTERUM. *inſcr. p. CLXXV*, 4.

§. II.

Multum vero conducere, qua materiam præſentem, de *Pravitate Uſurarum*, opinor, ſi quis *Populi Romani* priora fata diſtinctius cognoverit: Omnibus igitur notum arbitror ex *Chronologia*, quod

*Millenarii IV. Sec. II.* (nam de fatis ITALI, ex *Millenarii III. Sec. III.* qui regimen ſuum propagavit ad *Sec. VIII. Millenarii III.*; de *Dynaſtia* Æneadarum, quæ duravit ad *Millen. IV. Sec. II.*; ut propius agam, mea non intereſt,) exortum ſit ſub ROMULO Imperium iſtud, quod primum Regibus, deinde Dynaſtia Conſulum ſeu Ariſtocratia, tum directorio Democratico & tandem ſub Imperatorio jubare inclaruit, varia fata etiam ſubierit, & certum id ſit, quod ſub ROMULO, ROMA ipſa fuerit extructa & celebriter culta; etiamſi ortus ipſe ad fures, latrones & promiſcuum vulgus omnino referri debeat: Ut de eo non dicam, quomodo per CONSUALIA, ſeu ludos equeſtres, in honorem NEPTUNI inſtitutos, allecti ſint SABINII, eorumque virgines ac juvenes mulieres violenter tenuerit Roma & incolis ſuis in conjugium locaverit; Primis itaque temporibus GENS ROMANA inter pauperiem vitam tolerabat, nec, antequam invadere cœperat provincias confines, divitias acquirere, nec etiam ditiorem ſe reddere hactenus valuit, commerciis in ſpecie nondum adſueta: Verum cum *Sec. III. Mill. IV.*, quod deerat, ſpecioſo pietatis ſyrmate texerat NUMA, ſucceſſor ejus, TULLUS HOSTILIUS id effecit, ut ALBANIS ſuperatis & metropoli ipſorum deleta, Cives etiam ejusdem, cum multa præda Romam ſint abducti. Vid. LIVIUS. *Lib. I. Cap 22. ſ.* SEC. IV. etiam ANCUS MARCIUS eo opulentiæ progreſſus eſt, ut Romam lateritio muro cingeret, pontem ſuper Tiberim ſtrueret, Oſtia itidem in portum ſtructa; vid. LIVIUS. *l. c. Cap. 32. ſ.*, Imitatus itidem eſt morem Regum priorum, qui rem Romanam auxerant, hoſtibus in Civitatem accipiendis, & POLITORI urbis Latinorum Cives Romam traduxit; LUCUMO, etiam Vir impiger ac divitiis potens, Romam commigravit. Succeſſor ipſius TARQVINIUS PRISCUS & Senatores & tribus Civitatis auxit, ac plures accolas Gentes ſubegit, quarum divitiis ampliorem reddidit Romam, ut & conſtituerit illuſtriorem Politiam. vid. LIV. *l. c. Cap. 35. ſ.* SERVIUS TULLIUS tandem Populum Romanum in Claſſes, Curias & Collegia diſpeſcuit, ac matriculas formari juſſit, VEIENTESQVE ac HETRUSCOS ſuperans, iterum Romam auguſtiorum reddidit, Vid. LIV. *l. c. Cap. 41. ſ.* ; præcipue

CEN-

CENSUM inſtituit, rem ſaluberrimam tanto futuro Imperio, ex quo belli, pacisque munia, non viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent. Tum claſſes centuriasque & hunc ordinem ex Cenſu deſcripſit, vel paci decorum, vel bello. *Mylle IV ſec. V.* LUCIUS TARQVINIUS *ſuperbus*, tam propter crudelitatem, quam laſcivo facinore primogeniti ARUNTIS TARQVINII id effecit, ut, quamvis non infeliciter adverſus aliquot Populos dimicuiſſet, Romam denuo multis divitiis implendo, nihillominus urbe pulſus & extorris Regnum amiſerit. Vid. LIV. *Cap.* 49. *ſ.*

§. III.

Ita quidem in *Ariſtocratiam* verſa videbatur Romanorum Reſp. & *Sec.* hocce *V.* adverſus PORSENAM feliciter pugnatum eſt, quod quidem ſub Dictatore primo TITO LARGIO FLAVIO factum eſt, cui additus fuit Magiſter Equitum SPURIUS CASSIUS. Vid. DYONYS. HAL. *Lib. V. Cap. II.* Sed tamen cum bellum adverſus TARQVINIOS geſtum, magnas requiſiverat opes, debitaque inde contracta, quorum exſolutionem Senatus a populo urgeret, hinc tumultuoſæ Plebi occaſio venit, ut Capitolium occuparent, nec ſeditionem finirent, antequam Senatus *decem* TRIBUNOS *plebis* admiſiſſet, QVÆSTORES etiam tolerare coactus eſt Senatus, quos a Populo electos, Conſul in bellum profecturus, veluti adjunctos ſuos admittere debuit Vid. LIV. *L. II. Cap.* 23. *ſ.* & ibi quidem LIVIUS ſcribere potuit: *Civitas ſecum ipſa diſcors inteſtino inter Patres Plebemque flagrabat odio, maxime propter NEXOS OB ÆS ALIENUM. Fremebant, ſe foris pro libertate & imperio dimicantes, domi a civibus captos & oppreſſos eſſe: tutioremque in bello, quam in pace, inter hoſtes quam inter Cives, libertatem plebis eſſe: Invidiamque eam ſua ſponte gliſcentem, inſignis unius calamitas accendit. Magno natu quidam, cum omnium Majorum ſuorum inſignibus ſe in forum projecit: obſiſa erat ſqvalore veſtis, fœdior corporis habitus pallore ac macie peremti, ad hoc promiſſa barba & capilli efferaverant*

*raverant ſpeciem oris. Noſcitabatur tamen in tanta deformitate, & ordines duxiſſe ajebant, aliaque militiæ decora, vulgo miſerantes eum, jactabant, ipſe teſtes honeſtarum aliquot locis pugnarum, cicatrices adverſo pectore oſtentabat. Sciſcitantibus, unde ille habitus? unde deformitas? cum circumfuſa turba eſſet prope in concionis modum: Sabino bello ait ſe militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, ſed villa incenſa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo ſuo tempore imperatum, æs alienum feciſſe.* ID CUMULATUM USURIS, *primo ſe agro paterno avitoque exuiſſe, deinde fortunis aliis, poſtremo velut talem perveniſſe ad corpus, ductum ſe ab creditore non in ſervitium ſed in ergaſtulum & carnificinam eſſe: inde oſtentare tergum fœdum recentibus veſtigiis verberum. Ad hæc viſa auditaque clamor ingens oritur, non jam foro ſe tumultus continet, ſed paſſim totam urbem pervadit, nexu vincti, ſolutique, ſe undique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem. Nullo loco deeſt Seditionis voluntarius comes, multis paſſim agminibus per omnes vias cum clamore in forum curritur. &c.* Et mox *Cap.* 24. adjicitur, SERVILIUM Conſulem publicaviſſe hoc edictum; *Ne quis Civem Romanum vinctum aut clauſum, teneret, quo minus ei nominis edendi apud Conſules poteſtas fieret: Ne quis militis, donec in caſtris eſſet, bona poſſideret aut venderet: Libros nepoteſve ejus moraretur.* Et adjicit: *Hoc propoſito edicto, & qui aderant nexi profiteri ex templo nomina: & undique ex tota urbe proripientium ſe ex privato, cum retinendi jus creditori non eſſet, concurſus in forum, ut ſacramento dicerent,* fieri.

## §. IV.

Neceſſarium itidem hic eſt, ut ex Hiſtoria non tam aliarum Gentium, quam *Romanorum*, obſervetur, antiquisſimis temporibus maximum fuiſſe rigorem adverſus debitores, qui in nervum

vum duci a Creditoribus poterant, ſimulac a Prætore creditoribus addicebantur, eo quod condemnati, juſto tempore non ſolverant, neque vindex reperiretur, qui debitum in ſe ſuſciperet: Quin vel eo graſſatam fuiſſe malitiam Creditorum, ut obæratos *vendere*, ſi non plane *in partes dilaniare* auſi ſint, docet Conſ. Dn. D. WESTPHAL. Diſp. *de J. R. Indole. p.* 81. *ſ.* Quamvis & *Civis Romanus* nec ſemet ipſum, more *Hebræorum*, in ſervum vendere, nec pro ſervo haberi poterat; nihilominus ex jure *nexus* & *nervorum*, de quibus vocabulis & rebus, eruditisſima iterum habet SALMASIUS. Vid. *Lib.* Ipſius *de modo uſurarum Cap. XIIX. p.* 810. *& ſ.* & addatur poſt Lexica reliqua, CALVINUS & FABER. in *Theſauro*. Nam iſtiusmodi addicti & obærati, ad ſerviles quascunque operas damnabantur, & adverſus Leges succesſive id obtinuit, ut ditiores ac Nobiles creditores, in ingenua debitorum corpora ſævire inciperent, eaque propter facinora, Rex SERVIUS TULLIUS jam conſtituerat & publicaverat ſequentia: *Supereſt*, inquit, *ut audiatis, quid excogitaverim in veſtrum commodum, & cujus rei cauſa Vos in concionem ad vocaverim. Quotquot veſtrum ære alieno gravati, non ſunt ſolvendo propter innopiam, his ego ſuccurrere paratus, quoniam Cives ſunt & multos labores exantlarunt pro Patria, ne libertatem amittant propriam qui publicam ſtabilierunt, de meo pecuniam dabo qua ſatisfiat creditoribus. Si qui autem in poſterum a fœneratoribus mutuum acceperint, eos ob æs in nervum duci non ſinam: caveboque lege ne fæneratoribus jus ſit in libera corpora, ſed contenti ſint debitoris facultatibus. Et ut tributorum in ærarium collationem, quibus* pauperes *gravati æs alienum facere coguntur, levius in poſterum feratis, volo cenſeri bona omnium & pro ſuo quemque cenſu conferre, ſicut in magnis & bene inſtitutis Civitatibus fieri audio. Juſtum enim exiſtimo & Reipub. utile, ut, qui multum posſident, multum conferant; parum vero, qui ſunt in re tenui. Placet etiam mihi agrum publicum, armis*

*veſtris quæſitum, non ab impudentiſſimo quoque, ut nunc fit, occupari, nec gratis acceptum, nec comparatum pretio; ſed ab iis teneri qui adhuc inter vos exſortes ſunt: ne mercede ſerviatis cum ſitis liberi, utque non alienos fundos colatis, ſed proprios. Nihil enim generoſum poteſt ſapere, qui quotidiani victus penuria premitur. Præter hæc omnia decrevi æquabilem & communem efficere Rempub., & cunctorum Civium jus æquare. quosdam enim ſibi tantum arrogare audio, ut non vereantur plebejos contumeliis afficere, & vos pauperes pro ſervis habere. Itaque ut tenuioribus quoque contra potentiores jure agere liceat, LL. feram quæ pariter omnibus conveniant, prohibentes violentiam, & tutantes juſtitiam: neque ipſe unquam huic æqualitati proſpicere deſinam.* Vid. DIONYS. HALICARNASSEUS. *Oper.*, ex *Sylburgiana Edit. Libr. IV. p. 215.* Videbatur ita quidem introductum eſſe ceſſionis bonorum proficuum certe beneficium, illudque quod tutatus fit TULLIUS, facile patet exinde, quando ſe defendens, & exagitatus a Patriciis queſtus eſt: *At fortaſſe nullum quidem criminem male quosdam habet, ſed erga plebem beneficentia; licet inmerito; cujus rei non ſemel vobis a me reddita eſt ratio p. 239.*

### §. V.

Aſt ne ſic quidem pauperioribus ſufficienter conſultum, nam ut taceam crudelitatem TARQVINII *ſuperbi*, quo regnante *ſupervenerunt* plebejis *mala graviora*, dum LL. a TULLIO *ſcriptas, quæ jus æquum faciebant utrique ordini, nec ſinebant a patriciis, (ut ante) plebejos circumveniri in contractibus, omnes ſuſtulit. v,* DIONYS. *L. cit. p. 245.* Decem Viri etiam, non qui ex DUUMVIRIS, & cuſtodibus librorum ſacrorum, ad hunc numerum aſcenderunt, inhumaniſſimam illam legem tulerunt: *Confeſſi æris ac debiti judicatis triginta dies ſunt dati, conquirendæ peccuniæ cauſa quam diſſolverent*

*rent. Eosque dies Decemviri JUSTOS appellaverunt, velut quoddam juſtitium, i. e. juris inter eos quaſi interſtitionem quandam & ceſſationem, quibus diebus nihil cum his agi jure poſſet. Poſt deinde niſi diſſolverant, ad prætorem vocabantur: & ab eo quibus erant judicati; addicebantur. Nervo quoque aut compedibus vinciebantur &c.* Vid. *AULUS GELLIUS.* in *Noctibus Atticis. Lib. XX. Cap. I. p. 408.* Ubi & reliquum, quo obærati habiti ſunt, modum prolixius leges. De DECEMVIRIS his ut plura dicam, mea non intereſt, quod tamen peculiares illi, & loco duorum Conſulum electi Decemviri ultra biennium non duraverint, id apud Romanos ſcriptores & poſt DIONYS. HAL.; VALERIUM *Maximum*, FLORUM, CICERONEM & GELLIUM, apud LIVIUM peculiariter *Lib. III. Cap.* 3 . *ſ.* leges: Quamvis & in eodem *Sec. VI.* CENSORES legebantur loco duorum Conſulum, & tribunorum plebis loco TRIBUNI *militares conſulari poteſtate*, nihilominus tamen illius Seculi Anno XIV. iterum duo Conſules conſtituti ſunt, & cum hactenus PATRICII ſolum Senatum conſtituerant, tunc tamen plebeji id effecerunt, ut unus Conſul ex eorum ordine crearetur, & Prætores ac Ædiles Curules ex Patriciis ſumerentur. Vid poſt EUTROPIUM, GELLIUM, FLORUM, DIONYS. HAL. iterum LIVIUM. *L. IV. Cap.* 7. 13. & 14. Atque tunc Romanorum Reſp. miris modis fuit ampliata; Eodem ſiquidem *ſec. VI.* VOLSCI & Æqui fuerunt ſubjugati, VEJENTES, FALISCI & FIDENATES ſunt ſuppreſſi, GALLI *Senones* ſunt repulſi, HETRUSCI, SAMNITES & UMBRI ſunt coerciti; Nec tamen fœneratorum furor ac immanis avaritia ceſſare voluit, & cum diris modis adverſus pauperiores invaluerat, vid. LIV. dec. *L. VII. Cap.* 18. hinc non tantum quod a C. LICINIO STOLONE lege cautum eſt, ut *deducto eo de Capite, quod uſuris prænumeratum eſſet, id quod intereſſet, triennio æquis portionibus perſolveretur*, ſed & paulo poſt C. MARTIO & CN. MANLIO COSS. rogatio perlata eſt a M. DUILLIO & L. MÆNIO tribunis plebis, de *Unciario foenore*. Vid. LIV. *VII.* 16. Verum remedium etiam huic malo venit. LUCIUS PAPIRIUS, namque, *is fuit*,

qui cum ſe C. PUBLIUS ob æs alienum paternum nexum dediſſet: *Quæ ætas formaque miſericordiam elicere poterat, ad libidinem & contumeliam animum accenderunt: & florem ætatis ejus fructum adventitium crediti ratus, primo perlicere adoleſcentem ſermone inceſto eſt conatus: deinde poſtquam aſpernabantur flagitium aures, minis territare, atque identidem admonere fortunæ: poſtremo cum ingenuitatis magis quam præſentis conditionis memorem videret, nudari jubet verberaque afferri. Quibus laceratus juvenis, cum ſe in publicum proripuiſſet, libidinem crudelitatemque conquerens fœneratoris, ingens vis hominum quum ætatis miſeratione, atque indignitate injuriæ accenſa, tum ſuæ conditionis, liberumque ſuorum reſpectu, in forum, atque inde agmine facto ad Curiam concurrit. Et cum Conſules tumultu repentino coacti, ſenatum vocarent, introeuntibus in curiam patribus, laceratum juvenis tergum procumbentes ad ſingulorum pedes oſtentabant. Victum eo die ob impotentem injuriam unius, ingens vinculum fidei: juſſique Coſſ. ferre ad populum, ne quis, niſi qui noxam meruiſſet, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur: pecuniæ creditæ, bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. Ita nexi ſoluti, cautumque in poſterum ne necterentur:* vid. poſt VARRONEM & TERTVLLIANVM, LIVIUS. *L. VIII. Cap.* 28. Ex hoc ergo tempore ceſſaviſſe obæratorum addictionem & ductionem in nervum, ac loco ejus bonorum ſectionem ſeu venditionem ad haſtam ſolum obtinuiſſe perſuadentur multi, quibus tamen meditatu dignisſima oppoſuit adhuc SALMASIVS; *De modo uſurarum Cap. XVIII.*

## §. VI.

*Millenarii IV. Sec. VII.* Romanorum fortuna miris modis aucta, TARENTINOS enim eorumque confœderatos ſubegerunt, PICENTES SALLENTINOS & VOLSINOS enervarunt, *Punicum* item *bellum* adverſus CARTHAGINENSES feliciter-

ter omnino tranſegerunt. *Sec. VIII.* LIGURES domarunt, GALLOS *cis Alpinos* refrænarunt, prima vice adverſus ILLYRIOS feliciter pugnaverunt, nec in *ſecundo Punico bello* ſine gloria diſceſſerunt; MACEDONES tributarios ſibi fecerunt, SYRIS etiam graves facti ſunt ac ÆTOLIIS & HISTRIS, imo & tandem GALLO-GRÆGIS; *Secunda vice* etiam cum MACEDONIBVS dimicuerunt & ILLYRIOS quod adjuverant, eosdem puniverunt. Pari ſorte etiam *Sec. IX. tertium bellum Punicum* ſuſceperunt & Carthaginem penitus deleverunt; GRÆCIS & nunc jugo deſtinato, adverſus HISPANOS arma moverunt, nec longe poſt NVMANTIVM fruſtra ſemel tentatum, ad deſperationem adegerunt; tandem & ASIAM *minorem* ſuam fecerunt, GALLOS *trans Alpinos* coercuerunt & cum JVGVRTHA Rege Numidiæ rem confecerunt; CIMBROS, THEVTONES & TIGVRINOS repulerunt, THRACES & rebelles compeſcuerunt, ac MITHRIDATEM *quartum*, *Regem Ponti & minoris Armeniæ*, poſt multas curas ſuſtulerunt, ut de PIRATICO, CRETICO, BALEARICO & CYPRICO bello non meminerim: Dum & de GALLICO ac PARTHICO Hiſtorici ſunt conferendi. Verum inter hos Triumphos, domi & Romæ inteſtina bella hoc Seculo gentem Romanam diriter exercuerunt, non enim ſatis id fuit, ut cum in expeditionibus illis felicioribus, ditiores ſuas ſortes mirabiliter auxerant, pauperum tamen nullam haberent rationem, Tribuni plebis, ut vulgi favorem inirent, adverſus Senatum urgerunt *Leges* AGRARIAS, FRUMENTARIAS & JUDICIARIAS de quibus vid. locis plurimis T. LIVIUS, ſed peculiariter TIBERIUS SEMPRONIUS GRACCHUS, ſummus inter Tribunos plebis, adverſus Senatum & Patritios LEGEM dedit, qva *nemini liceret, ultra duodecim jugera agrorum poſſidere*; Intenditqve, ut *qvoniam agri prope Romam non ſufficerent pauperibus*, *Regis ATTALI Gaza, Romano populo teſtamentario jure tributa, inter pauperes diſtribueretur*: Conſtituit etiam, *qvi publici, qvi privati forent agri.* Eadem continuavit Frater ipſius CAJ. GRACCHUS qvi *colonias educi voluit*, ipſeqve *unam*

*carum Carthaginem abduxit.* Poſt qvem APULEJUS SATURNINUS *Leges Gracchanis* crudeliter urgſit, & *Liv. Druſus*, ut *Legem Civitatis* cum *Gracchanis* defenderet nihil omniſit: Circa hæc igitur tempora introductas eſſe NOVAS TABULAS, perſvaſum eſt aliqvibus, & refert de his VELLEJUS PATERCVLVS. *Hiſt. Lib. II. MARCUS COELIUS in Prætura NOV. TAB. auctor extitit, nequiitqve Senatus & autoritate Conſulum deterreri.* Et cum eædem attulerint *reſectionem*, & *expunctionem debitorum* inferant, ubi, *cum pares rationes, & nulla reliqua, itur ad novas tabulas* conficiendas, non male ſcripſit *SENECA. L. I. de Beneficiis. Cap. IV. p. m. 265.* Tu me *aliquid eorum doce, per qvæ beneficentior, gratiorqve adverſus bene merentes fiam, per qvæ obligantium, obligatorumqve animi certent, ut qvi præſtiterint, obliviſcantur, pertinax ſit memoria debentium. Iſtæ vero ineptiæ Poëtis relinqvantur: Qvibus aures oblectare propoſitum eſt, & dulcem fabulam nectere. At qvi ingenia ſanare & fidem in rebus humanis retinere, memoriam officiorum ingerere animis volunt, ſerio loqvantur, & magnis viribus agant: niſi forte exiſtimas, levi ac fabuloſo ſermone, & anilibus argumentis, probiberi poſſe rem pernicioſiſſimam, beneficiorum novas tabulas.* Add. *L. VII. Cap. X.* & in *Epiſtola LXXI.* Hinc & cum de *SYLLA* ſit perhibitum, qvod has ſic dictas *Novas Tabulas* in gratiam obæratorum executas voluerit, injuſtitia tamen ipſa adeo manifeſta facta eſt, ut SVETONIVS in JVLIO CÆSARE. *Cap. XLII.* de Inſtitutis Cæſaris retulerit ſeqventia: *De pecuniis mutuis, disjecta NOVARUM TABULARUM expectatione, qvæ crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus ſatisfacerent, per æſtimationem poſſeſſionum, qvanti qvasqve ante civile bellum comparaſſent, deducto ſummæ æris alieni, ſi qvid uſuræ nomine numeratum aut perſcriptum fuiſſet: Qva conditione qvarta pars fere crediti*

*crediti deperibat.* Et Ipſe *JULIUS CÆSAR. L. III. de bello Civili* reliqvit ſeqventia: *His rebus confectis, cum fides tota Italia eſſet anguſtior, neqve credita pecuniæ ſolverentur, conſtituit, ut arbitri darentur, per eos fierent æſtimationes poſſeſſionum, & rerum, qvanti qvæqve earum ante bellum fuiſſent atqve eæ creditoribus transdarentur. Hoc & ad timorem NOVARUM TABULARUM tollendum minuendumqve, qvi fere bella & civiles diſſenſiones ſeqvi conſvevit, & ad debitorum tuendam exiſtimationem, eſſe aptiſſimum exiſtimavit.* Vid. etiam *QVINCTILIANUS. Declamatione CCCXXXVI.* & *SIGONIVS. De antiqvo jure civit. Rom. I. 6. p. 96.*

§. VII.

Qvicqvid vero horum ſit, Eruditiſſimus tamen SALMASIVS. *Cap. XIX. Lib. ſæpius cit.* in L. POETELIA unice ſubſiſtit, & probat, qvod ne illa qvidem obtinuerit, ex qverela *Legatorum Manlianorum*, apud SALLVSTIVM. in *Catilinario.* qvi ſævitiam Prætoris accuſant his verbis. *Neqve cuiqvam noſtrum licuit, more majorum lege uti, neqve amiſſo patrimonio liberum corpus habere, tanta ſævitia fœneratorum atqve Prætoris fuit.* Et demonſtrat, legem tantum id interdixiſſe, ne *nexi* opus facerent apud creditores obærati, ut antea ſoliti, ſed ſoluti. Proptereaqve docet, qvod inter *necti* & *nervo* aut *compedibus vinciri* magna ſit differentia, dum illud ſolam obligationem & pignoris capionem corporum inferat. Vult & porro probare, qvod ADDICTUS non ſit amplius civis, & quicquid in ſervum juris ac poteſtatis fuerit domino, hoc etiam in addictum debitorem fuerit creditori. Putat &, qvod hic nil faciant PORCIÆ & SEMPRONIÆ leges, qvæ a ROmani civis tergo verbera depellebant; Siqvidem addicti pro civibus amplius non ſint habiti, & poſtquam Manlianam cauſam deinde diſcuſſerat, penitius ſubſiſtit in illa ſententia, qvod LEX POETELII in favorem civium ROMANORUM ſolum modo

modo ſit lata, æqve ac JULIA; Qvin maximam etiam fuiſſe differentiam inter *nexum voluntarium*, & eum, qvo addicebantur obærati *autoritate Judicis*; hunc, qvi ex ſententia judicis ſeqvebatur addictos, prohibitum tantum videri poſſe lege POETELIA; Voluntarium autem ſemper fere fuiſſe permiſſum. Explicat id ulterius ex hypotheſi ſua, qvod homo liber ſemet ipſum vendere, & hinc longe magis ſe oppignorare potuerit & auctoramentum ſeu pretium, qvo qvis libertatem ſuam vendiderit, accipere potuerit. Diſcrimen & monſtrat inter eum qvi ſemetipſum vendit, & qvi ſe venundari ab alio paſſus eſt, ad pretium participandum; Qvibus & adjicit, qvantum interſit inter *venditionem ſui* & *oppignorationem*, qvæ etiam aliqvando nomine venditionis venerit, ac revera venditio fuerit conditionalis, donec qvis ſolviſſet; & hos tales qvidem invito creditore, modo pecuniam ſolverint, libertatem recepiſſe. Tandem & de *addictis* docet, qvod fuerint aut *voluntarii* aut *ſententia judicis* tales facti; & qvoad addictos voluntarios, comparat eos clientibus Romanis, illiqve inhæret, qvod ſi homo liber, ac Civis romanus vendere ſe potuerit ad pretium participandum, tunc & ſervitutem pro pecunia mutua paciſci potuerit; Fuiſſe tamen magnam differentiam ſervorum reliqvorum & addictorum talium *in libertate recepta*; Sicuti enim ſoluta pecunia libertatem ſunt conſecuti, ita qvoqve jura civitatis & immunitates reliqvas non adeo recuperaverint, qvam re vera exercuerint; Qvorſum & trahit, qvod parentibus aliqvando fuerit permiſſum, libros ſuos vendere & oppignorare; Qvamvis enim *L. ult. ff. Qva res pignori.* qvi *ſciens filium familias a parente pignori acceperit, relegationis pœnam incurrerit*, nihilomninus tempore JUSTINIANI monſtrat adhue tales, qvi nomine pignoris detenti ſint, qviqve ejus conditionis fuerint, aut ætatis, ut ſervire non debuerint aut potuerint, qvos qvidem a creditore, in carcere ſuo privato detentos eſſe monſtrat, donec pater, qvi nexu eos obligaſſet, pecunia ſoluta, eos liberaret, tanqvam aliud pignus rei mobilis, qvod a creditore tenetur ſine ullo ejus uſufructu. Eadem & valuiſſe qva tales, qvi in miniſteri-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-298026-p0022-7

ſterium vel operarum conductionem addicti fuerint; ſiquidem talia licuiſſe multis probat. Ad illuſtrandam etiam hanc cauſam adjicit caſum, ubi pater filium *noxæ dare* potuerit illi, cui delicto quodam damnum fuerat illatum, qui denuo ſervierint non tamen ſervi fuerint, ſed ſimul ac acquiſiverint tantum, quantum damni dederant, dimittendi fuerint. Judicent de his ſingulis multa eruditione refertis, ſcitiores omnes, mihi id ſatis eſt, quod in LL. noſtris, TABULÆ NOVÆ nullum invenerint locum, ſed tamen & adverſus fœneratores, non adeo qua mutuum fœneticum, quam quà uſuras nimias fuiſſe decretum, ac LL. quid conſtitutum.

§. VIII.

Legem GABINIAM eò quidem trahunt: ſed recte D. HEINNECCIUS *l. c. L. III. p.* 85. docet, quod id faciant decepti loco CICERONIS. *Epiſt. ad Att. V.* 21. & cum SALAMINIIS tunc cum *SCAPTIO* res fuerat, qui *quaternas* poſtulabat uſuras, non abs re collegiſſe ſibi viſi ſint, ex hoc CICERONIS loco, *CENTESIMAM* uſuram inductam eſſe *lege Gabinia*; cujus ſententiæ fuerint BRISSONIUS & HOTOMANNUS; Adverſus quos tamen GRONOVIUS & NOODIUS monſtraverint, quod ratio ipſos fugerit, ſiquidem nihil hac *Lege Gabinia* fuerit cautum, quam ut ne quis *Legato Provinciali* Romæ ſub uſuris daret mutuam pecuniam: & ſi dediſſet, ne quis Magiſtratus ex ea ſyngrapha jus diceret; addita pœna, cum adverſus fœneratores, qui uſuram a Provincialibus contra legem acciperent, tum adverſus Provinciales qui darent. Adjicit etiam *Celeb.* DN. HEINECCIUS. §. *XV. p.* 86. quod certius ex *eadem Cic. Epiſtola* colligatur, modum hunc uſuris eſſe conſtitutum *Edicto Prætoris*, ſiquidem CICERO Ciliciæ Pro-Conſul fuerit, & LUCULLUS id idem obſervaverit in Provincia; proindeque *uſuram centeſimam* ex illorum conſtitutis hauſiſſe CICERONEM, ut tamen acceſſerint deinde cum SCTa & PRINCIPUM Conſtituta. Quemadmodum ergo non *Novarum Tabularum* rationem habuit JULIUS CÆSAR, ita conſtitutis ipſius id tamen effectum eſt, ut ex eo tempore licuerit debitoribus, per Ceſſiones ſuas, æſtimatione prius inita, creditoribus in ſolu-

tum dare; Sed vel hæc conſtituta ſenſim denuo ab uſu receſſerunt, quamvis enim JULIO CÆSARI maneat hæc conſtitutio, ipſique tribuatur ejusdem origo, *L. I. & IV. C. Qui bonis cedere poſſunt.* Conf. ALCIATUS. *Parerg. II.* 4. DUAREN. *Oper. p.* 703, quod tamen ſuper eos, qui bonis ceſſerant, ignominia obtinuerit adhuc horrida, ex ſubſequentibus diſpaleſcet. Nec feliciora fata, quibus *Mill. IV. Sec. X.* Imperante AUGUSTO, Romani mactati ſunt, fœneratores coercuerunt, ut Legibus parerent, Ipſe ſiquidem AUGUSTUS *invecta Urbi, Alexandrino triumpho, Regia gaza, tantam copiam nummariæ rei fecit, ut fœnore diminuto, plurimum agrorum pretiis acceſſerit, & poſtea, quoties ex damnatorum bonis pecunia ſuperflueret, uſum ejus gratuitum iis, qui cavere in duplum poſſent, ad certum tempus indulſis.* V. SVETONIUS. in AUGUST. *Cap. XLI. Mille. V. Sec. I.* fœnoratoribus peſſimum venit exemplum, CALIGULA enim, quam bonus etiam fuerat princeps, primis imperii annis, poſtea tamen in avaritiam tam horridam degeneravit, ut *lupanari in palatio conſtituto, miſerit in civiumfora & baſilicas nomenclatores, ad invitandos in libidinem juvenes ſenesque; præbita advenientibus pecunia fœnebris, adpoſitique qui nomina palam ſubnotarent, quaſi adjuvantium Cæſaris reditus.* V. SVETONIUS. in CALIGULA. *Cap. XLI.* Scribit ibi in NOTIS, *Celebr.* DN. JUNCKERUS: *Hunc locum fateor, me non ſatis intelligere*; Sed cum Imperator ex lupanari lucra & rapinas quæreret, facile eſt intellectu, quod acceſſum hoc frequentiorem voluerit, & propterea mutuum fœneticum ipſe dederit, ut vagæ libidinis amplior foret campus. Cum & non longe poſt DOMITIUS NERO Theſauros, quos *in Thalamo Regia habebat, ita exhauſerit, ut ei ſtatim opus fuerit novis reditibus.* Unde *non tantum nova vectigalia Populo impoſuerit, ſed etiam locupletum opibus inhiaverit, quas per vim & rapinam a multis abſtulit.* V. DIO. in NERONE *Cap. II.* & SVETONIUS. in *Eodem. Cap. XXXII.* miſeria pauperum & doli fœneratorum paribus greſſibus invaluiſſe, præſumo; Quod & ſub FLAVIO DOMITIANO contigiſſe certum eſt. v. SVETONIUS. in T. C. DOMITIANO *Cap. XII.* & ſatis id confirmatum eſt per benignitatem Succeſſoris, NERVÆ, puta, COCCEJI, Is enim *Civibus Romanis*

*nis, qui in ſumma vivebant egeſtate, agrum dedit ad mille quingentas myriades drachmarum.* Vid. DIO. *in vita ejus.* MILL. *V. Sec. II.* fœnerabilis & uſuraria pravitas ſupreſſioque egenorum debitorum non ceſſavit, quos etenim TRAJANUS *pueros ac puellas nutrivit*, ſine dubio, quod parentum bona miſere fuerant diſcerpta & expilata, his ÆLIUS ADRIANUS *incrementa dedit* & ANTONINUS PIUS in *homines tenuioris fortunæ aut afflictos opes ſuas contulit*; AURELIUS ANTONINUS *fiſco ærarioque ab annis plurimis debita, Civibus remiſit & ſyngraphas de iis combuſſit* & ÆLIUS PERTINAX vectigalia, *quæ ad contrahendas pecunias Tyranni excogitaverant, in fluviorum rivis, in urbium pontibus, perque vias & itinera penitus remiſit, atque in antiquam libertatem revocavit, quicquid & inculti ſoli vacabat, occupantibus adjudicavit, decemque annorum immunitatem ac perpetuam libertatem agricolis conceſſit.*

## §. IX.

Dum ad *Sec. III.* hujus *Millenarii V.* pervenio, in eodem etiam CORACALLAM novi, qui *Civium bonis atque omnibus exhauſtis æraribus, pecuniam corraſit & nefariis hominibus diſtribuit.* HÆLIOGABOLUS eodem furore percitus, Romanos miſere divexavit; Apparet etiam ex ALEXANDRI SEVERI larga beneficentia, quam miſera fuerit hactenus Romanorum conditio; & cum MAXIMINUS *Thrax* ex ditiſſimis denuo *pauperrimos faceret, nec aliunde, niſi malo alieno pecuniam quæreret*, ſubſequentium etiam Imperatorum noxia diſſidia, DECII curis non potuerint ſanari, TREBONIANUS quoque cum VOLUSIANO filio, & ÆMILIANO nil utile præſtarent, ſolus LICINIVS VALERIANUS fraudibus impar fuit & quamvis *aliquibus, qui falſa menſura uſi fuerant, manus abſcindi & publico palo affigi juſſerit*, non tamen clandeſtinas fœneratorum fraudes ſimul amoliri potuit: Cum & LICINIVS GALLIENVS omnia in pejus verterat, CLAVDII melius regimen & QVINTILLI fratris ipſius juſtitia, res nummarias in melius verſas dediſſe, mihi tamen non videtur. VALERIVS equidem AVRELIANVS amicos ſuos *honeſte ditavit, & modice, ut miſerias paupertatis effugerent, & divitiorum invidiam patrimonii moderatione vitarent.* Vid. VOPISCVS. *Cap. XII, ſed æque ac* DIOCLETIANVS tandem, hanc

 noxiam

noxiam fœnoris cauſam populo reliquit fatalem. Neque *Sec.* eodem, ſub MAXIMIANO HERCVLEO res nummaria melior eſſe cœpit; quæ & ſpes exſpiravit ſub CONSTANTIO CHLORO & GALERIO MAXIMIANO, MAXIMINO *juniore*, & MAXENTIO, atque VALERIO LICINIO. Quam & felicius *Sec. V.* ſub CONSTANTINO M. Reſpublica multis liberata eſt diſcriminibus. Vid. *Codex Theodoſianus & L. I. hujus C. de Rect. Provinc.*; Qui & *feuda hæreditaria* fecit & *LL.* alias utiliſſimas condidit; nihilominus tamen hujus rei cauſa parum eſt decretum, niſi forte huc referre velles, quod ſub Directorio hujus Imperatoris *Eccleſia Chriſtiana*, de uſuris quoad *Clericos* conſtituit: Sub CONSTANTIO etiam nil reperimus, quod huc pertineret; longe minus ſub JULIANO *Apoſtata*, aut JOVIANO; & primus eſt VALENTINIANUS, qui Conſtantinopoli *æneum modium collocavit, ne menſuræ diminui poſſent, & quibusdam, qui diminuerant, præcidit manus, quas ibi ſuſpendit.* Vid. SUIDAS. VALENS poſt eum nil laudabile geſſit, nec ſub GRATIANO & VALENTINIANO II. quicquam tale eſt monitum, quin & THEODOS. M. qui publicæ ſalutis ſtudium ſolicite exegit, adverſus uſurariam pravitatem ſurrexiſſe non legitur: Manſerunt & *ſec. V.* deliquia talia & prævaricationes tam horridæ, in eodem ſtatu, & ARCADIUS nil conſtituit. HONORIUS nil ordinavit, THEODOSIUS II., cujus votum fuit. *Ultinam mihi eſſet poſſibile, ad vitam mortuos revocare*, hujus tamen rei cauſa, nihil tentavit; VALENTINIANUS & *Tertius* obfuit magis quam profuit, & qui poſt obitum VALENTINIANI III. numerantur, ne quidem digni ſunt, ut nomen ipſorum memoretur, quod ad noſtram quidem adtinet cauſam: De MARTIANI Imperio, LEONEque M. plura ſperare quam experiri potuit egenus ſubditus, qui duriora poſt hæc ſub ZENONE expertus eſt. Quamvis & ANASTASIUS DECORUS vectigal, quod χρυσάργυρον dicebatur & ſubditos premebat, aboleverit, atque *Sec. VI.* JUSTINUS *Thrax* aliqua bona tentaverit, nihilominus tamen a JUSTINIANO *Imperatore* hoc ſolum effectum eſt, ut *Ceſſio bonorum* obtineret.

§. X.

## §. X.

Is namque juſtiſſimus Imperator *PANDECTAS* efformari curavit, *INSTITUTIONUM* opuſculum perfecit, & *UNIVERSUM JUS* in luculentam conſonantiam redegit, velut id Conſtitutiones, Corpori Juris Civilis præmiſſæ & JCti Noſtri copioſius docent: Quod & ad debitores adtinet, heroico rigore firmum id fecit, ut, quod civibus jamdum L. JULIA conceſſum, ſed forte non ſatis ſincere ſervatum fuerat, in cauſis debitorum, facta bonorum ceſſione, ſe extricarent, idq; extraneis etiam indulſit. Cum enim ZOZARIUS quiſpiam ex Myſis oriundus, cum lachrymis porrectis precibus Imperatorem edocuerat, quod pecuniarum publicarum pariter & privatarum nomine contaminetur a Clariſſ. Provinciæ Præſide, per contumeliam & quidem ſolam. Neque enim crediderat de iis pecuniis propriarum rerum ſuarum perſecutionis libellos oblatum iri; id injuſtiſſimum habuit Imperator, & inter ea capitula, quæ cumprimis adferunt moleſtiam. Ubi enim locorum inquit, juſtum eſt, ut is, qui in univerſum ex accidenti, non ſupina negligentia res ſuas amiſiſſe traditus eſt, denuo per vim ad ignominioſam vitam tranſponatur, & ad quotidiani victus, neque non (ut licet conjicere) amictus corporis inopiam adigatur? Adjicit etiam: *De his edocti, alacriterque cupientes id, quod deterius eſt, per melius corrigere, quo magis ea re omnium optimus DEus concilietur, neque calamitoſi aliquid noſtris geratur, inque uſu habeatur temporibus, ſancimus: Ut nemini glorioſiſſimorum aut magnificentiſſimorum Magiſtratuum liceat rei cauſa ceſſioni bonorum neceſſitatem alicui eorum inferre, qui de prædictis cauſis propter pecunias publicas forte, aut etiam privatas judicium ſuſtinent, aut hujusmodi contumeliis uti, ac prætextibus, perinde quaſi dum corporis ſupplicium ipſi remittitur, maluerit rerum ſuarum amiſſionem capeſcere potius, quam cum inopiæ jugo itidem ad mortem usque premi opprobrio, ignominia* &c. De Decoctoribus interim quod obtinuerit illud, ad

*Nov.* eandem *CXXXV.* in *Notis* videre licet; & ſufficit, potuiſſe debitores, qui non ſuo vitio aut inertia, ſed infortunio aliquo, bona ſua amiſerant, liberari, & nequidem cogi debere, ut bonis cederent, ſed poſtquam jurato affirmaſſent, ſe nihil in bonis habere, unde ſolverent, ab omni creditorum moleſtia liberos ambulare, potuiſſe; In *Novella IV.* copioſius reliqua, quæ ad ceſſionem bonorum pertinent, explicata ſunt, & JCti *Noſtri* plenius cauſam hanc delinearunt. Vid. poſt *SCHOEPFFERUM, KOLSHORNIUM* & plures, *STRUVIUS. Synt. J.C. p.* 444. *ſ.* & *STRYCK. U. M. T.* 3. *p.* 237. *ſ.*

## §. XI.

Hactenus ex *HISTORIA ROMANA* patuit, qualis eorundem fuerit ſtatus & quam corrupta ſæpius eruperint ſuper eosdem fata, quam dura & tunc experiri potuerit diſcrimina miſer & egenus? Nunc adhuc explicabo, quid de uſurariis & fœneratoribus recenſuerit vetuſtus orbis? Non opus vero eſt ut amplis circumſtantiis repetam, de Jure Civili ſcilicet, omne mutuum quoque eſſe gratuitum; aut etiam plurima addam, quæ de *mutuo fœneratitio* praxis ipſa extenſius docuit; modo id obſervetur, quod uſuraria pravitas orbem plerumque invaſerit, ſed & deteſtata fuerit honeſtioribus quibuscunque. Qvamvis & inter *ROMANOS Lege XII. Tab. Unciarium* fœnus conſtitutum, ubi *unum* pro centenis reddebant, miris tamen fraudibus eandem everterunt fœneratores. Vid. *GERHARDUS NOOD.* de *fœn. & Uſur. II.* 13. *p.* 291. & non dubitarunt, qui malis incertisq; nominibus credebant, uſuras majores *centeſimis* ſtipulari. Tum vero & *aſſem uſurarium* multiplicabant & partes ejus exigentes, aliqnanto ſupra legitimam uſurarum ſummam e. g. *binas, ternas, centeſimas*, ita tamen ut nunquam ab aſſis ratione decederent, veluti id ex *CICERONE* probat *Celebr. DN. HEINECCIUS. Antiq. L. III. Tit.* 15. §. 30. & vere ibidem *p.* 94. ſcribit, quod *ſangvinolentæ plane fuerint uſuræ, ſiquidem qui binas centeſimas ſpoponderunt, ſingulis annis viginti quatuor*, qui *ternas*, *triginta ſex*, qui *quaternas*, *quadraginta octo*, qui *quinas ſexaginta* pro centenis, uſuræ loco ſolve-

ſolverint; & adjecit HADRIANI temporibus invaluiſſe, ut fœneratores, creditis *mille aureis, ex ea ſumma eodem momento deduxerint centum, & cautionem nihilominus in mille aureos conceptam, uſuras præterea centeſimas in ſingulos annos ſtipulati ſint, easque, vertente anno in ſortem redegerint, quod quidem genus uſurarum adeo mordax fuerit, ut intra ſex annos ſors duplicaretur*: Quem quidem *ANATOCISMUM S. Conſulto* prohibitum & poſtea *IMPERATORUM Conſtitutionibus* proſcriptum bene memorat. Satis & clare §. *antecedanea XIX. & ſ.* Nomina uſurarum exhibuit, & poſt *Centeſimas* docuit *uſuras Deunces*, ubi *undecim* pro centenis; *Dextantes* vel *Decunces*, ubi *Decem* pro centenis; *Dodrantes*, ubi *novem*; *Beſſes* ubi *octo*; *Septunces*, ubi *ſeptem*; *Semiſſes* vel *ſemiſſales*, ubi *ſex* pro centenis; *Quincunces*, ubi *quinque*; *Trientes*, ubi *quatuor*; *Quadrantes*, ubi *tres*; *Sextantes*, ubi *duo* & *Uncias* vel *unciarias*, ubi unum; *Semiunciarias* demum, ubi *dimidium unciæ* datum eſt pro centenis.

## §. XII.

Quam graviter interim afflixerit res fœneratiora *Rempubl. Romanam*, id poſt exhibita multa *TACITUS* perorabit: *Magna vis, inquit, accuſatorum in eos irrupit, qui pecunias fœnore auctitabant, adverſum legem dictatoris CÆSARIS, qua de modo credendi poſſidendique intra Italiam cavetur, omiſſa olim, quia privato uſui bonum publicum poſtponitur. Sane vetus urbi fænebre malum, & ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſſa, eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim Tabulis ſanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur. Dein rogatione Tribunicia ad ſemiuncias redacta. Poſtremo vetita verſura. Multisque plebiſcitis obviam itum fraudibus, quæ toties repreſſæ, miras per artes rurſum oriebantur.* &c. &c. Conſ. *LIVIUS L. VII. Cap.* 27. *XXXV.* 7. & *TACITUS Annalium VI.* 16.

Quam

Quam vero ſolicite malo fœnetico ſe oppoſuerit *GENS ROMANA*, quæ & aliquando inhumaniſſimam ſe geſſit, & frivole omnium, omne fœnus, omnemque, juſtiſſimam etiam, & LL. probatam uſuram, voluerit abolitam; nihilominus tamen adverſus clanculariam fraudem nil obtineri potuit in hacce cauſa; Quicunque enim ditiores erant & pravitati uſurariæ dediti, illi pecuniæ incrementum, non ſub antiquo amplius *FOENORIS* nomine petierunt, hoc enim deteſtabili vocabulo exulante, alio quopiam modo palliare annifi ſunt ſuas artes, hinc *POENÆ* nomen, & gratioſo illo involucro inveſtitum adhibuerunt; *pœnalis* nempe illa *conditio* fuit, *qua quis recepturus eſt quod dederit, & inſuper aliquid præter ſortem, ſi pecuniam mutuam ea lege dederit, ut ſi v. g. Calendis futuris non reddatur, pœnæ nomine aliquam ſummam dari ſtipuletur præter ſortem.* SALMASIUS, de *M. U. p. 350. ſ.* Alii vero debitores eo adigebant in contrahendo fœnore, ut legis beneficio renunciarent. Vid. DN. NOOD. de *Fœnore & Uſura. II. p. 269.* Quemadmodum ergo antequam decretum erat de uſuris, quod nec Romæ, nec in Romanis amplius ditionibus eſſent exigendæ, fraudulenti fœneratores, quod Romæ non poterant, in aliis provinciis & præcipue etiam in Latio ſic tentarunt, ut a *LATINIS* expeterent Nomina, & ſub hoc pallio, uſuras quantaſcunque a debitoribus ſtipularentur; Ita poſtquam *PLEBISCITA* ultra Romam & alibi locorum ſunt introducta, omnes in eo fuerunt, ut nomine fœnoris & fœnoratorum exulante, de uſuris non dicerent, ſed has etiam ſub *pœnarum* titulo occultarent; aut etiam debitori, ut renunciaret ſuo beneficio, autores eſſent. Ex omnibus ergo abunde conſtat, qualis is fuerit ſtatus? & quomodo *APPIANUS Alexandrinus. L. I. Civil.* potuerit ſcribere: *Abhorruiſſe quidem mihi videntur veteres Romani fœnoris conſvetudinem quemadmodum & Græci, nec ſecus ac cauponandi quæſtum quendam exiſtimaviſſe, gravem intolerabilemque pauperibus & inimicitias ultro procreantem.*

§. XIII.

## §. XIII.

Vidi hactenus, quomodo *LL. Duodecim Tab.* non niſi *UNCIARIAM uſuram* permiſerint, ſed cum *CENTESIMÆ* jam meminerim, & *L.* 1. 2. *C. Theod. de Uſur.* conſtet, quod inter ipſos Chriſtianos illa centeſima, ſeu *duodecim pro centenis*, ſit acceptata, quam & teſte *FR. BALDUINO.* in *Juſtinian. p.* 61. Prudentes ſæpiſſime appellaverunt nomine *LEGITIMÆ*; Hinc brevibus adhuc adjicio, quod *CONSTANTINUS M.* in *L.* 1. *C. Theod.* de *Uſur.* conſtituerit, ut frugum uſura triplo major ſit, quam pecuniarum, & cum *HEMIOLIUS* numerum aliquem totum in ſe haberet, dimidiumque haberet ejus, ut tres ad duo, quindecim ad decem, triginta ad viginti. Vid. AULUS GELLIUS. *L. XVIII. Cap. XIV.* Hinc permiſit *Imperator*, ut duobus modiis datis, tertius uſuræ nomine præſtaretur; quæ proportio alias *ſeſcupla*, ſive *ſeſqualtera* dicitur, hac ratione citra dubium permotus, quod fructuum & incertum ac inconſtans ſit pretium, & incertus etiam eorum proventus, cum fieri poſſit, ut crediti tempore conſtent magno, ſolutionis vero tempore parvo: quæ eadem ratio fecit, ut cum alias pecuniæ creditæ, ex nudo pacto non deberentur uſuræ, *L.* 3. *C. de Uſuris.* frugum tamen uſuræ ex nudo pacto peti potuerint, & præſtari debuerint, *L.* 12. *C. Eod.* Ipſe *JUSTINIANUS* etiam, de quo nunc præcipue agimus, obſervato certo debitorum & creditorum diſcrimine, nec non aliis conſideratis circumſtantiis, modum uſuris poſuit. *L.* 26. *C. de Uſur.* itemque in NOVELLIS quibusdam. Prolixitatis vitandæ gratia, non diſceptavero; Num *JUSTINIANUS* permiſerit tantum uſuras? num plane approbaverit? num tandem prohibuerit? collegit enim has altercationes *Celeber.* ZIEGLERUS. in Tract. Aureo, *de Juribus Majeſt. L. I. Cap. XCVIII.* §. *III. p.* 766. *ſ.* Sufficit, quod mercatoribus *BESSES*, cœteris *SEMISSES*, Illuſtribus & Superilluſtribus *TRIENTES* tantum conceſſerit, & ad modum ſic attenderit, qvem ratio ejus, quod intereſt, exigere videbatur, quatenus juxta intereſſe Creditorum requiri opus erat, quorum pecunia debitores uſi ſunt. Imo & debitorum ratio fuit habita, ut, ſi *agricolis* pecunia mutuo data eſſet, quicunque fuerit creditor, non alia ipſi exſolveretur uſura, niſi *TRIENS*, aut non multo

majortriente, quotannis ſcilicet in ſingulos ſolidos *SILIQUA* una, quæ eſt vigeſima quarta pars ſolidi; At ſi fruges mutuo datæ fuerint, ut tunc *octavam modii partem* in ſingulos modios ſtipulari liceret. v. NOV. 32. 33. 34. Circa *fœnus & nauticum* ac *pecuniam trajectitiam*, quando ſc. Creditor ſuſcipit maris & alienæ navigationis, tum & ipſius ſortis periculum, revocavit JUSTINIANUS uſuras ad finem *CENTESIMÆ*, cum antea infinitas ſtipulari liceret; Sed tamen, quam inconſtans Ipſe Imperator circa uſuras nauticas deinceps fuerit, docent NOV. 106. *&* 110. & videtur utique in hoc genere conſiderari debere, qualis ſit conditio pecuniæ creditæ, quod periculum, & quousque ſuſceptum ? ut certi aliquid ſtatui queat. Conf. ZIEGLER. *l. c.* §. *IV.*

## §. XIV.

Sed intervenit hanc Conſtitutionem PAPÆA BARBARIES, hinc antequam ad *Imperium Noſtrum Romano-Germanicum* acceſſerim, neceſſarium reor; ut, quod in *PAPATU*, qua uſuras obtinuerit, prius explicem: Labyrinthum vero ingrederer, ſi aut *Scriptorum*, aut *Canonum*, aut *Scholaſticorum* ſcrutarer latifundia, filo potius Ariadnæo, & hoc quidem utar, ut quæ ex Jure Canonico, â BELLARMINO, BECANO, TANNERO, WILLERDINGIO & *aliis* collecta ſunt, breviter exhibeam. Habent ergo PAPÆI uſuras pro ſpecie rapinæ & hinc Uſurarius non minus apud ipſos ad reſtitutionem tenetur, quam fur, imò non minus crudelis ipſis dicitur, qui pauperem fœnore trucidat, quam qui ſubtrahit vel eripit aliquid diviti; Nec modo *MENTALEM*, quando aliquis *ea intentione ac mente contrahit, ut aliquid ultra ſortem recipiat omni expreſſa conventione ceſſante*; Sed etiam *CONVENTIONALEM* uſuram, de qua *expreſſius convenit*, prohibitam cenſent, ſive mutuum adſit *verum*, ſive *PRÆSUMTUM*; quod quidem *poſterius* ita deſcribunt, *cum in fraudem prohibitarum uſurarum aliter contrahitur*; utpote cum *convenit, ut ex pignore fructus Creditores percipiant*, aut cum *res vendita eo pacto, ut poſt certum tempus res ipſa cum certo pretio ultra ſortem reſtituatur*. Callide interim deſcribunt id, quod ſorti accedit *præter fœnerandi intentionem*, ut & *ex alio contractu*,

vel

vel propter id, *quod petentis intereſt*; Qva qvidem ratione *FIDEJUSSOR*, Debitoris debito ſoluto, damnum repetere; *GENER*, Uxorem nutriens, fundi fructus pro dote promiſſa oppignorati, licite percipit; CLERICUS beneficium Eccleſiaſticum aliter redimere non valens, ſub prætextu pignoris, de manu Laici licite percipit; *CENSUS annuus* in prædio etiam cum pacto de retrovendendo emitur. Prohibentur interea, Uſuras accipere omnes Clerici, Laici, Judæi, Collegia ac Civitates; & Debitores ad ſolvendas uſuras cogi non debent, niſi juramentum eapropter præſtiterint, Creditores etiam reſtituere obligantur, nulla obſtante appellatione, juramentum & ſuper uſuris ſolvendis præſtitum relaxare debent Judices, ac Creditoris hæredes ac extranei etiam reſtituere tenentur, etiam debitoris hæredibus, &, ſi hi non non extiterint, pauperibus. Quod ſi non reſtituerint Creditores, habeantur pro infamibus, excludantur abs altari, abs abſolutione; non admittantur ad ſepulturam eccleſiaſticam, teſtamenta ipſorum ſint inania & nemo ipſis poſſit locare domos; imo excommunicatio ipſa ſequatur tandem. Clerici, ſit tale quid patrant, ſuſpendantur ab officio, & in hoc delicto perſeverantes, deponantur, quin & nec immunes ſint, qvi manifeſtos uſurarios tolerant. Qvam vero rigida hæc videantur omnia, tam tamen clare mox patebit, qvod nec a pravitate uſuraria fuerint liberi ac purificati; quod & artibus ſingularibus malum hoc fœneticum abſcondere & occultare omnibus modis annitantur.

## §. XV.

Qvemadmodum vero Papæorum Conſtitutiones habent, qvod obſervari meretur, ita in *Romano Imperio*, modo LL. bonis obtemporarent boni cives, qvod qva uſuras licitum, tam clare & juſte eſt diſcuſſum ac abſolutum, ut & creditoribus & debitoribus bene eſſe poſſet; Pace ſiquidem civili confirmata, & in majeſtatem reducto Imperio Romano, hoc etiam præcipue cautum eſt, ne amplius, quod Seculis antecedaneis valde invaluerat, ex re fœneratoria turbæ metui deberent, conventum ſiquidem eſt, ut quantitas uſurarum *QVINCUNCES* modo reſpiceret, h. e. quinque in centum. *p.* §. 174. *Rec.* 1654. & ut

ultra hunc quantitatem ſtipulatæ uſuræ pravitatis arguantur. Excipiuntur tamen in dicta §. (1) uſuræ jam ſolutæ, (2) uſuræ a fidejuſſore ſolutæ, (3) autoritate rei judicatæ debitæ, (4) in pecuniis mutuo datis alicui debitori ob tempeſtatem bellicam ſe liberanti vel aliquid redimenti. Uſuræ vero durante tricennali bello non ſolutæ, qvoque ad *quartam partem* reductæ ſunt; ſcilicet qvæ excreverunt usque ad tempus pacis factæ, nempe anni 1648. Si vero ad eam paupertatem redactus ſit debitor ut neqve hanc qvartam partem exſolvere poſſit creditori; illam docere poteſt coram Magiſtratu competente, qui ejus etiam hoc intuitu rationem habere debet, *p.* §. 173 d. Rec. 1654. Quando vero creditores docere poſſunt, debitores ſuos bonis & opibus, pendente bello non decreviſſe, ſed commode ſatisfacere poſſe de ſorte & uſuris, hæc reductio usque ad quartam partem præjudicare non debet. Competit in his ſingulis, Imperii Statibus lauta libertas, ut ſi in territoriis ſuis cum ſubditis convenerint aliter, illud ſartum tectumque ſervari debeat, illisque hæc conſtitutio Imperii non præjudicet. *p.* §. 172. *d. Rec.* 1654. Interea multo conſenſu itum tamen eſt in hanc conſvetudtnem quincuncis uſuræ, adeo ut ſpeciali Conſtitutione, *Elector Saxoniæ* & qvidem de anno 1661, non modo qva reliqva debita, ſed & qua cauſas pias quincunces exigendas decreverit. Vid. *ZIEGLER.* de *J. Maj.* *l. XLVII. VI. p.* 768. qvi & mos ubivis ferme obtinet, ut nihil ſuperſit, niſi qvod hoc adhuc ſit obſervandum, ex Conſtitutione Imperii Romani uſuras a tempore moræ deberi, ut ſi uſuræ promiſſæ ſunt, interpellatione opus non ſit, ſed ibi dies interpellet pro homine, ut ſic cedente die exigi quoque poſſint; ſi vero nullus dies præfinitus ſit ſolutioni, interpellatione opus ſit, ſed ſaltem extra judiciali; Arg. *L.* 32. *ff. de Uſur. L.* 87. §. 1. *ff. de leg.* 2.

## §. XVI.

Inter innumera, quæ *EXCELL. DNO PRÆSIDI MEO* debeo, hoc etiam & multa æſtimatione deprædico, quod mihi *CONSTITUTIONEM Provincialem* de *Quincuncibus uſurarum* humaniſſime voluerit communicatam; Eandem & dignam

omnino

omnino habeo, quæ heic loci inferatur: Sententiam itaque his tulerunt ac publicaverunt verbis:

Obzwar die Durchleüchtige Hochgebohrne Fürſten und Herren, Adolph Friederich und Herrn Guſtaff Adolph, Gevättere, Hertzogen zu Mecklenburg, Fürſten zu Wenden, Schwerin und Ratzeburg, wie auch Graffen zu Schwerin, der Lande Roſtock und Stargard Herren ꝛc. Eine Ehrbahre Ritter- und Landſchafft auff das prætendirte dritte Gravamen, betreffend, Ihrer F. F. G. G. publicirte Conſtitution wegen Zahlung der Zinſen und Capitalien, mit einer ſolchen Chriſtbilligen Reſolution in Gnaden verſehen, daß ſie in Verleſung derſelben, dafern ſie nur nicht des einen Theils, oder des Debitoris Nutz und Beſten allein in Conſideration ziehen, und des andern Theils, oder des Creditoris gerechtes Intereſſe gantz aus der Acht laſſen und bey ſeyte ſetzen wollen, darin die ſelbſt redende Billigkeit und Ihrer F. F. G. G. Chriſtliche Intention dahin gerichtet befinden werden, daß ſo wohl der ein als der ander dadurch beybehalten, und guter Credit im Lande wieder herbey gebracht werden möge. Alldieweil aber dennoch Eine Ehrbahre Ritter- und Landſchafft und zwar noch ante extraditionem Ihrer F. F. G. G. Reſolution Ihre Unterthänige Bitte wiederholet, und ümb milterung derſelben Conſtitution, und das etwa die Zinſen auff 5. *pro cent reduci*ret werden müchten, Unterthänige Anſuchung thun laſſen.

So thun demnach J. J. Fl. Fl. G. G. ſich dahin endlich und ſchließlich in Gnaden erklähren, daß ſie den Debitoribus die Zinſen dieſer geſtalt zu 5. *pro Cent* kommen laſſen wollen, daß das (I.) Moratorium indultum gäntzlich gehoben, und ni weiters, als in voriger J. J. Fl. Fl. G. G. NB. *Conſtitution* enthalten, *proro*giret werden ſolle. (II.) Das Ihnen dieſer geſtalt 5. pro Cent zu geben nur concediret ſeyn ſolle, daß, dafern ſie nicht *in die Antonii* oder auff den ſonſt verſchriebenen und beliebten termin *præciſe* einhalten, und die Zinſen 5. pro Cent entrichteten, Sie alſofort *ipſo facto* in die 6 *pro Cent* verfallen ſeyn ſolten, und darauff in allen Gerichten die *Executiones* erkandt, Und (III.) in keinen Gerichten einige *Exception* darwieder *admitti*ret werden ſoll. Auch (IV.) zum Fall der Creditor nur 5. *pro Cent* bekehme,

Er zu keiner Abſtattung des halben hunderſten gehalten ſeyn: Und (V) dieſe Conceſſion nicht *ad uſuras præteritas* ſondern nur *ad futuras*, die etwan auff Antonii und folgende Termin *Anno* 1658. fällig ſeyn möchten, *extendi*ret werden, und dann ſchließlich das Ritter- und Landſchafft ſich abſonderlich obligiren NB. „ſolle, das J. J. Fl. Fl. G. G. wegen Ihrer an Ritter- und „Landſchafft noch habenden *Capitalien* (aus Urſachen Ihr das „Capital nicht ſo fort abzunehmen nicht gebühret) Ihre völlige Zinſen 6. *pro Cent* richtig erlegen ſollen/ Jedoch das *Caſus Excepti* ſo wohl in Reichs-Abſchiede / als Ihrer Fl. Fl. G. G. *publi*cirten *Conſtitution* hierunter nicht gezogen werden können. Welches J. J. Fl. Fl. G. G. Dero Ehrbahren Ritter- und Landſchafft zu gnädiger ferneren reſolution in Gnaden anfügen wollen. Mit dieſem ausdrücklichem Anhange, daß, dafern es nur an einiger dieſer Conditionen ermangeln ſolte, J. J. Fl. Fl. G. G. es alles für nicht gewilliget noch concediret gehalten, ſondern ſchlechter Dinge es bey voriger reſolution und beyderſeits publicirten conſtitution in allen puncten und Clauſulen gelaſſen haben wollen, und verbleiben dero Ehrbahren Ritter- und Landſchafft mit Gnaden gewogen. Signatum Güſtrow den 10. Novembr. Ao. 1656.

A. Friedrich / Hz. zu M. *mppr.* Guſtaff Adolph / Hz. zu M. *mppr.*

*(L.S.)* *(L.S.)*

## §. XVII.

Ex his itaque nunc deciditur, quinam ſint uſurarii vel pravitatis uſurariæ rei, qui puta (1) plus exigunt, quam in Receſſibus Imperii vel ſtatutis permiſſum, (2) qui licitas etiam uſuras non tantum accipiunt ab iis, qui lucrum ex pecunia mutuo data faciunt, vel qui frugiferos fundos emunt; verum etiam abs his, qui ad neceſſaria vitæ ſubſidia pecunia mutuo data utuntur & eadem ſuæ tantum conſulere voluerunt inopiæ; quamvis & uſurarii, qvi à pauperibus uſuras non exceſſivas accipiunt, in foro hujus mundi nullam inve-

niant

niant animadverſionem, divinam tamen qvod metuere habeant vindictam, omnes pii Caſuiſtæ volunt; His talibus enim ex mutuata pecunia non compendia & lucra veniunt, ſed miſeriorem ſubſiſtentiam & caſûs aliquando accedaneos avertere, ſeque tenuiter ſatis conſervare moliuntur ac propterea abs honeſtis omnibus ſatis ducendum eſt, ſi ſortem ipſam recipere licet. conf. BRUNNEM. *J. Eccleſ. II. XIIX. §. XLIV.* ſed conducet nunc etiam propius conſiderari, qvænam ſit illa pravitas uſuraria? non facile prolixiorem accipies informationem quam ſi Rec. Imp. luſtraveris. Cum igitur in *Rec. J. d.* 1500. §. XXXI.. exhibitum, daß durch wücherliche und andere gefährliche unzimliche Contract, ſo bieher Chriſten und Juden üben, Landen und Leuten mercklicher Schade zugefügt; tunc in *Reformatione bonæ Politiæ*, Auguſtæ ao. 1530. factæ, & quidem §. XXVI. tales uſurarum non Chriſtianarum, die wieder GOtt und Recht geübet worden und täglich geübet werden, recenſentur modi: als daß etliche eine Summa Gelts, als 800. Gülden, hinleihen ſollen, und doch in Kauff-Brieff mehr als 1000. Gülden ſetzen laſſen, dadurch Ihnen mehr dann fünff vom 100. verzinſet, und im Wiederkauff mehr dann Ihre Haupt-Summa geweſen, entpfangen, desgleichen etliche ſeyn ſöllen, die umb ein klein Verſäumung der Zeit, ſo ſie der Bezahlung zu thun anſetzen, ein übermäßig Intereſſe fodern, und mit der Haupt-Summa ſteigen, und dieſelbige umſchlagen. Item: daß etliche Getraid, Pferd, Tücher, und dergleichen Wahr an ein Geld-Kauffs-Weiſe anſchlagen, und viel höher dann ſolche Wahr immer mag wehrt ſeyn, und dardurch ein mercklichen groſſen Wucher, als männiglich wiſſend, zu wegen bringen. Item, daß etliche ihr Geld hinweg leyhen, nemen von 100. ein nähmlichs, und muß der Entleiher ihnen darzu ein mercklich Dienſt-Geld, darumb ſie doch zu dienen nicht ſchuldig ſeynd, verſchreiben, und ſolch Dienſt-Geld ohn Bezahlung der Haupt-Summa nicht auffſchreiben, oder auffſagen dorffen oder mögen. Item, daß etliche allein Gelt an Müntz hinweg leihen, laſſen doch die Verſchreibung auf Gold ſtellen. Item, daß etliche ein nämlich Summa Gelts auch vergeblich hinleihen, aber dargegen muß der Entleyher ihnen etwan eine groſſe

Wahr.

Wahr, und gantz in einem geringen Werth zu ſtellen, darin ſie ihre Haupt-Summa und ein groſſen Genieß, wol doppelt oder dreyfachtigt haben und befinden. Item, etliche leyhen ihr Geld mit dieſen verbotenen Gedingen und Pacten hinweg, daß der Entleiher zu vier Märckten, ſo die Jhm ernennen, ein namhafftigs darfür verzinſen, oder Auf-Geld geben muß, thut wol etwan mehr, dann vom hundert zwantzig. Quæ ſingula *in Reform. Pol.* ao. 1548. §. XVII. verbotenus ſunt repetita. Vid. etiam in Rec. 1577. §. XVII. Inter modos etiam illicitos contrahendi mutui refertur, ſi qui tempore belli extorſerint obligationes a communitatibus vel Civibus, ſimulque tales obligationes nullæ pronunciantur, ac viciſſim, ſi debitores creditoribus ſuis durante bello extorſiſſent inſtrumenta obligationis, hi jubentur eadem reſtituere, vel ſi nihilominus debitum probari poſſet, proceſſus ſuper eo decerni debent. *art. IV. Inſt. Pac.* §. 46. 47. conf. *DN. HENNIGES.* In *Meditat. ad Inſt. Pac. l. c.*

§. XVIII.

Ne vero exemplis careat mea tractatio, hinc & exhibiturus ſum memorabilia quædam pravitatis uſurariæ capita & ſcelera: In ore igitur omnium, quod ad hoc adtinet flagitium, ſunt *JUDÆI*, gens ea, quæ poſt Redemtorem crucifixum diſperſa vagatur, nec hactenus ad jura Civitatis emergere unquam potuit; illa namque poſt immane occiſi *Servatoris JESU CHRISTI* piaculum, ira Numinis, omni exuta dignitate, & quo cœteris mortalibus oſtentui eſſet, ſuis ejecta ſedibus, vaga atque egens, qua lucri fraudiumque tuto exercendarum ſpes duxit, omnibus ſe terris diſpeſſa effudit, perque omnes urbes promta dolis, pecuniæque vias omnes callens, fœneratur. Ita juxta plebs primoresque evertuntur fortunis, circumveniuntur ac obruuntur. Vid. *FOERSTNERUS.* in *Not. Polit. ad Tacit. Annal. VI.* 16. *ad verba: nam primo Duodecim Tabulis.* Cui *Illuſtr. DN. REINHARDUS*, in *Theatr. prudentiæ eleg. IV. XI.* 1391. *p.* 1351. adjicit ſequentia: Notanter hinc, de Judæis, *CAROLUS PATINUS: Un Medicin peut comparer les Juifs a la ratte, dont L'uſage n'et pas de grande importance, puis qu'on la retranche ſouvent du corps ſans aucune diminution des foncions. Elle*

*détruit*

*détruit L'embonpoint des autres parties, eu ſuppropriant les humeurs qui les doivent nourir & les fait enfin perir de miſere & d' Inanitur, ſi on n' empéche q' elle ne s' en groſſiſſe: Les Juifs en ſerojent bien autant s'ils pouvojent, ils ne ſubſiſtent que d' artifice & de fourberie. Je nâi pas vêu de même peuple ſi pauvre, que lá óu ilja des Juifs, on diroit, qu'ils en conſument toute la ſubſtance. De plus ils ne ſont bons á rien: Ils ne ſont plus ſavans, comme ils, etoient autre fois & n' aiment points au travailler; la paroiſſe & l' ignorance les jetteront en fin dans la derniere miſere.* Dans ſes *Relations Hiſtoriqv. & curieus de Voiage Relat. IV. Fol.* 228. Ut vero omnibus conſtet, quam perniciose hi Verpæ fœnerentur, hinc, cum in manus meas caſu inciderit *HONDORFII Promptuar. Exemplor. per STURMIUM continuatum*, ex illo communicare congruum duxi quæ ſolicite annotarunt. Die Juden, ſcribunt *p.* 456. was dieſelbigen vor einen unmenſchlichen Wucher unter den Chriſten treiben, damit ſie aller Welt Vermögen ausſchöpffen, und jedermans Haab und Gut zu ſich rauben und reiſſen, das iſt offenbahr, und bey allen Menſchen ſichtiglich vor Augen. Allein daß niemand iſt, der Ihnen einhalt thate, daß Sie von irem teuffeliſchen Wucher abſtehen, oder denſelben zum wenigſten einziehen müſten: Ich wil alhier nur von einen eintzigen Gülden ein Exempel ſetzen, ſo wird man ſehen, was der Jüden Wucher ſey, und ob Sie nit mit irem Wucher der armen Leute Schweiß und Blut ausſaugen, und Sie biß auff das Gerib und Grad ſchinden und freſſen.

## Wie viel ein Gülden in 20. Jahren Wucher trage?

Von einem Gulden 2. Franckfurter Heller zu Wucher, alle Wochen, und für Wuchers Wucher zum Haupt gut gerechnet, bringet

Im erſten Jahr 11. ßl. 5. Heller.
Im andern Jahr 1. Gülden 4. ßl. 6. Heller.
Im dritten Jahr 2. Gülden, 6. ßl.
Im vierdten Jahr 3. Gülden, 19. ßl. 5½. Heller.
Im fünfften Jahr 6. Gülden, 3. ßl. 2½ Heller.
Im ſechſten Jahr 9. Gülden, 8. ßl. 6½ Heller.

Im ſiebenden Jahr 13. Gülden 15. ßl. 8. Heller.
Im achten Jahr 22. Gülden 3. ßl. 8. Heller.
Im neundten Jahr 33. Gülden, 9. ßl. $\frac{1}{2}$ Heller.
Im zehenden Jahr 49. Gülden, 22. ßl. 2$\frac{1}{2}$ Heller.
Im eilfften Jahr 74. Gülden, 10. ßl. 7. Heller.
Im zwölfften Jahr 110. Gülden, 18. ßl. 6. Heller.
Im dreyzehnten Jahr 144. Gülden, 18. ßl. 3. Heller.
Im vierzehnten Jahr 244. Gülden 7. ßl. 8. Heller.
Im funffzehnten Jahr 342. Gülden, 10. ßl. 7. Heller.
Im ſechzehnten Jahr 537. Gülden, 10. ßl. 5$\frac{1}{2}$ Heller.
Im ſiebenzehnten Jahr 796. Gülden, 10. ß. 16. Heller.
Im achtzehnten Jahr 1180. Gülden, 18. ßl. 3$\frac{1}{2}$ Heller.
Im neunzehnten Jahr 1749. Gülden, 18. ßl. 3$\frac{1}{2}$ Heller.
Im 20ten Jahr 2592. Gülden, 7. ßl. 4. Heller.
Im 21ten Jahr 3841. Gülden, 13. ßl. 3$\frac{1}{2}$ Heller.
Im 22ten Jahr 5691. Gülden, 16. ßl. 3$\frac{1}{2}$ Heller.

Item: 25. Gülden in 20. Jahren bringet nach Jüdiſchen Wucher 53954. Gülden, 13. ßl. 6$\frac{1}{2}$ Heller.

Aber ſo man 8. Heller für ein Albus oder Weiß-Pfennig und 24. Albus oder Weiß-Pfennig für einen Gülden rechnet, ſo bringets in Summa 58336. Gülden, 9. Weiß-Pfennig 3. und $\frac{1}{7}$ Heller.

Item: 20. Gülden in 23. Jahren, tragen auff Jüdiſchem Gewinnſt 113833. Gülden, 15. Weiß-Pfennig, 7. Heller, Franckfurter Wehrung, in Albus aber 138085. Gülden, 8. Albus 7. Heller.

Um ſolcher Schinderey und Wucher willen, hat GOtt offt verhängt, daß gräuliche Straffen über die Jüden kommen ſeyn, wie denn offtmahls geſchicht, wo die Sünden nicht geſtraffet werden, daß Herr Omnis zufällt und ſolche Sünden ſtrafft, damit je das Böſe nicht ungeſtrafft bleibe.

## §. XIX

Inter Pontificios videntur omnia tam ſancta eſſe, ſed revera videntur: Noveris enim, quod uſuram ſtricte acceptam omni jure prohibitam velint. Vid. TANNERUS. *Theol. Scholaſt.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-298026-p0040-7

*laſt. T.* 3. *Diſp. quarta quæſt.* 7. *n.* 75. *&* 76. Uſura vero *late ſumta* vel *acceptio auctarii* non videtur ipſa mala eſſe in ſe, hinc uſuras *compenſatorias* ac *punitorias* ex *Devt.* 28. *v.* 12. & *Eccleſiaſtici* 29. *v.* 10. admittunt. Vid. *n.* 77. varios & modos & titulos, ob quos in mutuo ultra ſortem *auctarium* peti & accipi poteſt, habent, ſic ratione lucri ceſſantis & damni emergentis admittuntur *compenſatoriæ* ſive *reſtauratoriæ*; ſicut & *punitoriæ*; ob dilationem ſolutionis etiam rei venditæ fructus a venditore percipi poſſunt; absque eo, quod in ſortem computentur, ſi modo dominium rei ad emtorem non tranſierit: Ex decreto porro rationabili Superiorum ſeu conſvetudinis æquivalentis aliquid in mutuo ultra ſortem licite accipitur. Eodem modo, quamvis in pignore, pactum legis commiſſoriæ (ut nimirum pignus niſi certo tempore redimatur in mutuantem tranſeat &c.) juſtum non ſit, ſed nullum tamen quandoque per modum juſtæ pœnæ conventionalis, ſervato juſtæ emtionis pretio, id fieri poteſt in quibusdam caſibus, quos exprimit TANNERUS *l. c. n.* 78. *ſ.* & quæ non ſunt adhuc alia. Quam & conſcientioſe ſecundum Præceptum Decalogi *optimum* verſentur, videbis ex ſequenti Compendio: Statuunt enim, illum, *qui furatur rem parvam, quam ſcit magni a Domino pendi, ob idque magno angore afficiendum, non peccare mortaliter, quia irrationabilis ſit Dominus rem levem tam acriter ferendo.* Si quis furatur *ab uno multa minima, usque ad notabilem quantitatem, quia non habet, unde alias ipſe ac familia vivat, aut Religioſus ex bonis Monaſterii minutatim ad quantitatem qvinque vel ſex regalium, quæ furtum alias grave conſtituunt, non tamen hæc dicuntur peccata lethalia in ultimo ut loquuntur furtiolo.* Omnia rerum minimarum furta *etiamſi notabilem conſtituant quantitatem, non ſunt lethalia, nec obligant ad reſtitutionem ſubmortali, quia furtum illud minimum veniale ſolum fuit, imo ultimum, quod gravem conſtituit quantitatem, propter levitatem materiæ culpam venialem non exceſſit. Si quis levem quantitatem aufert ab eo, a quo notabilem alii jam abſtulerunt, non peccat lethaliter, quia illi non eſt damni notabilis cauſa & ejus furtum in parva eſt quantitate ad mortale inſufficiens.* Filius familias *ſerviens Patri, poteſt clam accipere tantum, quantum pro eo ſervitio extraneo cuidam eſſet inſumendum.* Uxor, *quæ am-*

 *pliſſi-*

*amplissimam dotem detulit, poteſt absque mariti facultate, quinquaginta, v. gr. aut ſexaginta aureos nutrici, ipſius ad dotem filiæ, aut ob licitum alium titulum impertire, quia eſt donatio remuneratoria ex parte uxoris & ratio poſtulat, ut uxores etiam donationes remuneratorias faciat, modo non ſint immoderatæ, attentis mariti facultatibus & uxoris qualitate.* Quantitas minor, *dictus Nummus aureus non eſt lethale peccatum vaſalli reſpectu Regis vel Principis, quia ſpectata liberalitate Principum, qui vaſallos inſtar filiorum ſolent diligere, non videtur minor hac quantitate poſſe aſſignari.* Famuli & ancillæ *poſſunt occulte heris ſurripere, ad compenſandam ſuam operam, quam majorem judicant ſalario, quia ſuum arripiunt non alienum;* Vid. hæc, & plura alia ſuis Autoribus comprobata, in *Theologia Morali* D. J. A. OSIANDRI. *P. ſpec. ad Tab. II. & præceptum ſeptimum, Cap. IV.* §. 127.

## §. XIX.

Æque fraudulentas hypotheſes dedit *Celebr.* iſte & *perſonatus LUD. MONTALTUS* in *Litt. quor. de moral. & Politic. Jeſuitarum diſciplina, n.* 8. *p. m.* 191. *ſ.* Illa inquit mihi peracuta videtur, quæ fit per contractum quendam *Mohatra* vel *Barata* dictum. Quid malum, inquam, mi Pater, contractus *Mohatra Barata*? Videlicet, inquit, quis ille ſit neſcis. Age, age; nil portenti eſt præter nomen, quod Tibi expediet Eſcobarius. *Contractus,* inquit, *vulgariter Mohatra eſt quando quis egens pecunia emit pecuniâ credita à mercatore merces, ſummo pretio, & ſtatim ei pecunia numerata pretio infimo revendit.* Sic fit ut accepta in præſens pecunia majus debitum contrahatur. At ſolus, inquam, Eſcobarius illius forte meminit; an alii etiam hoc verbum uſurparunt? Et Tu, inquit, in iſtis rebus peregrinus es! Poſtremus Theologiæ Moralis liber nuper Pariſiis editus de Mohatra diſſerit, & quidem pulchre: titulus huic libro præfixus *Epilogus Summarum.* Continet autem *Suavii, Sanctii, Leſſii, Facundetz, Hurtadi* atque aliorum clarorum Caſuiſtarum breviarium, ut frons ipſa libelli oſtendit. Hic autem p. 54. leguntur iſta *Mohatra tum dicitur, cum ille cui viginti philippici opus ſunt, pannos de mercatore emit pretio triginta philippicorum poſt annum ſolvendo: mox eidem numerata pecunia viginti philippicis revendit.* Hinc perſpicere potes vocem hanc nullo modo inuſitatam eſſe.

Sed

Sed dic obſecro, inquam, mi Pater, nihilne vitii ineſt in hoc contractu? Eodem, inquit, loco reſpondet Eſcobarius, certorum illud regnorum legibus graviſſimis pœnis ſanciri. quo mihi igitur ille contractus, quo uti non licet? tum ille: *juſtus eſt* (Eſcobarii verba ſunt) *hiſce ſervatis. Nullum pactum nec explicitum nec implicitum adhibendum: pretium quo venduntur merces, non ſit majus ſummo & cum revendentur non ſit minus infimo. Molina requirit ulterius quod merces non vendantur ex intentione infimo pretio reemendi. Porro, Salas id non obſtare aſſerit: quia ubi nihil ſupra ſortem, in pactum deducitur, nec ſperatur in pretium aut debitum de Juſtitia pro mutuo, nulla eſt uſura, etiamſi auctarium principiliter intendatur.* Addit *LESSIUS*, *L.* 2. *c.* 21. *d.* 16. *eum qui ex compoſito ea vendat, ut pretio infimo redimat*, & ſi peccare poſſit contra charitatem, ut ſic cogat miſerum hominem emere merces quibus non eget, magno illius diſpendio, cum poſſit ille facile mutuum dare, non tamen teneri ad reſtitutionem; *quod intellige*, inquit, *non teneri ex juſtitia; ſed fieri poteſt ut teneatur ex charitate, ut ſi alter ſit pauper* ceſſante *tamen paupertate illius non teneretur, quia nec charitas nec juſtitia illum obligat.* Vides quid de iſtis rebus dici benigniſſime poſſit. Utique mi Pater, inquam; & paulo laxiorem indulgentiam vitioſam exiſtimem. Ille autem: Norunt, inquit, noſtri Doctores quouſque progrediendum, ubi conſiſtendum ſit. Interim ſatis credo perſpicis, contractus ille *Mohatra* quid habeat utilitatis.

## §. XXI.

WILH. WENDROCKIUS, *Salisburgenſis Theologus*. In *Notis* III. *pag.* 215. *ſ.* adverſus Apologiſtam Jeſuitarum, qui *ignorantia vel arrogantia* MONTALTIUM *accuſaverat*, ne inquirendum quidem exiſtimavit, ubi repugnet communis ſenſus & repugnet bonorum conſenſus, imo repugnet quicquid æquitatis non modo per gratiam Chriſtianis impreſſum eſt: ſed in Ethnicis peccatum non deletum, & omnes ſeculi homines nullo præjudicio depravatos judices ferre vult. Egregie etiam adjicit: *Divinis ac Civilibus legibus uſura prohibetur, id eſt, vetatur, ne aliquis accepta pecuniâ præſente nomen contrahat pe-*

cuniâ majus. Vulgaris hæc fœnoris notio. Ergo non licet pecuniam ſic alteri collocare, nec ſic ab altero mutuum accipere: Sit ergo aliquis luxurioſus adoleſcens, pecunia indigus altero magnus & futuræ egeſtatis incautus. Is ſi centum aureos fœnori ſumat, & centum quinquaginta aureorum nomen contrahat, jam eum, qui ſic collocavit pecuniam, manifeſtum fœneratorem eſſe vel inviti Caſuiſtæ fatebuntur. At ſi iſte neminem, qui ſic collocet, invenerit, & tamen quo facta inventum argumentum capiat, ac eâ re excogitata apud ſe fallacia adeat mangonem, ab eo emat equum centum quinquaginta aureis credita pecunia, eidem numerata revendat centum aureis: obſecro bone Apologiſta, iſtum ne adoleſcentem fœnori accepiſſe hanc pecuniam negabis, cum pro contractu 150. aureorum nomine 100. aureos in præſens acceperit? Itane ut iſto imaginariæ venditionis commento uſuram amoverit? At forte ille luxurioſus erator fœnori ſumit, non fœnori collocat ille mercator, qui ſuas credita pecunia vendit, merces, redimit numerata longe minori? Quaſi vero fieri poſſit ut qui fœnori accipeat, nec ſit aliquis qui fœnori collocet? Quaſi non videat DEUS totam hanc emptionem merum eſſe ludibrium, merum fœnoris integumentum: & nihil aliud agere adoleſcentem, quam ut pecuniam hoc pacto eliceat? Itaque hoc pacto intelligens mango primum vendat cum intentione redimendi, jam in ipſa intentione, uſuræ reus eſt: ſin autem ſerius propoſitum Adoleſcentis animaduertit, tunc ſcilicet, cum ille offert merces redimendos; cum redimit, fœnoris crimen haud dubie contrahit: id enim volens agit, ut pecunia ſua ab ipſo adoleſcente foenori accipiatur. Lepidi vero ſunt Caſuiſtæ, cum quærunt quid criminis habeat merces vendere? quid criminis alienas merces emere? quaſi ſic expendi res morales debeant, & non cum omnibus circumſtantiis conſiderari. Iſto modo

quæ-

*quæſierim, quid criminis habeat manu tangererem alienam? Quid criminis habeat manus claudere, poſtremo aufugere? Sejunge has actiones, ſeparatim innoxiæ ſunt; conjunge furtum inde excreſcit. Sic nec ſceleratum eſt vendere merces, nec ſceleratum emere: ſed hæc duo ſi jungas, ut inde fiat, dari centum aureos adoleſcenti, & ab eo accipi nomen centum quinquaginta aureorum: tam certum eſt ab adoleſcente foenori ſumere. Hinc patet quam vere Vir magnus & pius Nic. Faber Ludovici XIII. Galliarum Regis præceptor, totam hanc Caſuiſtarum ſcientiam nihil aliud eſſe dictitarit quam Artem cum Deo cavillandi Gallice L'Art de Chiquaner avec Dieu. Patet, quam ſeverior, æquior, gravior ſit Magiſtratuum prudentia, qui omnes Baratas Mohatas uſuræ condemnant, quam nova illa ſubtilitas, quæ ſe Moralis Theologiæ nomine venditat, & invito communi ſenſu iſtos contractus frivolis quibusdam argutiis nititur uſura purgare; quarum inanitatem, qui ſatis adtenderit, non dubitabit totum hoc genus contractuum hoc ſolo ab uſura differre, quod ei fallaciam & dolum ſuperaſtruant, & apertiſſimam Divinæ Majeſtatis irriſionem.* Add. *not. IV. de Uſura* & in *Epiſt. ipſa p. 197.* ubi monſtrat, qvod *Jeſuitæ, illis qui bonis cedunt, id tamen permiſerint, ut aliquid ex illis avertant.* conf. ex *ZECHIO, VALERIANO, REBELLI, ANDR. a MATRE DEI & ZIEGLERO, Dn. STRYK. in Caut. Contr. Sect. II. Cap. I. §. XXXI.*

§. XXII.

Conducit hic ut ſimul memor ſim MONTIUM PIETATIS, qvos qvidem *Celeb. Dn.* JO. HUBNERUS im curieuſen und realen Natur-Kunſt-Berg-Gewerck-und Handlungs-*Lexico p.* 942. breviter ſic deſcribit: Lombart, Lommart, Leyh-Pfand-oder Accedentz-Haus, Lehn-Banco, Montes Pietatis, in welcher die Geld-Bedürftigen auf ein Pfand nach deſſen Wehrt viel oder wenig Geld bekommen können, und zwar auf gewiſſer Zeit, nach deren Verlauff

lauff Sie es wieder löſen, oder ſo es kein verderblich Pfand die Zinſe davon abtragen, und einen neuen Pfand-Zettel nehmen müſſen, oder es wird in Auction verkaufft, bey welcher der Lombart zuvor daß Seinige wegnimt, daß übrige dem Verſetzer zuſtellet. Es iſt ſolches ein treffliche und chriſtliche Verordnung und Anſtalt, den juden Wucher zu hemmen, und die Bürger und armen Leute bey Nahrung und im Lande zu behalten, daher eine jede Obrigkeit dahin bedacht ſeyn ſolte, ein ſolches Leyh- oder Pfand-Haus in Ihren kleinen oder groſſen Städten anzulegen. Es träget aber ein ſolches den Namen Lombart von denen zu der Gvelphen- und Gibelliner Zeiten aus Italien entwichenen reichen Capitaliſten, deren viele ſich nach Niederland begeben, und daſelbſt ihr mitgebrachtes Capital auf Pfand und Zinſe ausgethan, alſo daß ein Pfand nach den Lombart bringen, hernach den Ort ſelbſt wo Geld auf Pfand gethan wird gegeben worden. Cum itaque annuas, menſtruas & diarias uſuras Veteres noverint ac frequentaverint, *hebdomadariæ* etiam in *Belgio a Longobardis* ſeu publicis fœneratoribus ſive Trapezicis uſurpari coeperunt, & in Hollandiæ urbibus tales tolerantur, apud quos pecunia fœnori ponitur ab iis, qvi otioſam eandem domi & in arca manere nolunt; abs illis etiam inopibus pecunia datur mutua ſub pignoribus; qualis quidem mos ac conſuetudo in ſe & ſua natura, adeo non poteſt improbari, ut, ſi publica autoritate confirmatus ſit, multum potius commodum operetur, absque hoc etenim *plerique bonis ſuis vili pretio venditis everterentur, aut vertere ſolum foroque cedere cogerentur, qui nunc reſpirandi inde laxamentum nacti res ſuas iterum in ſolido locant, & pignora recipiunt a foeneratore per ſoluto cum uſuris pacto debito.* Vid. *SALMASIUS. de Uſur.* p. 670. ſ. ubi bene adjicit: *In Gallia noſtra, ſi idem mos obtineret, melius ageretur cum ruſticis & artificibus in quibus, qui a tributorum exactoribus appellati ubi ſolvendo non ſunt, ſuppellectili omni ſtatim divendita idque viliſſimo pretio, lectis etiam in quibus cubant, excutiuntur. Quæ poſtea magno utpote ad vitam neceſſaria emere iterum coacti, paulo poſt iterum*

*iterum minimo addici pro tributi ſolutione vident, donec tandem ad ultimas egeſtatis metas, nunquam in poſterum remenſuri. Audio de quodam veſtifice Middelburgenſi qui prædicare ſolet absque ope Longobardi & opera unius poculi argentei octo vel decem circiter florenis æſtimandi, renunciaturum ſe ſuæ ſæpius arti fuiſſe, ſibique inde nihil futurum aliud ſuper, quam graviter eſuritioni operam dare ſartoriis operis, quas habet conductas, in fine ſingularum hebdomadum ſolvenda eſt penſio. Defertur ad fœneratorem poculum. Ubi pecuniam ipſe accepit ab his, qui debent pro factura veſtium, quia non ſemper ad diem ſolvunt, ad redimendum poculum properat. Mox iterum oppignorat, ubi opus habet, iterumque liberat. Sic totus ipſi annus id obliganti & redimenti vaſculum ſuum, cum uſura quidem ſatis grandi, utpote quæ ternas centeſimas in annum conficiat ſed quæ maximam ipſi adferat utilitatem & quando compendium, dum a maximo eum diſpendio prohibet, imo a certo omnium fortunarum exitio.*

## §. XIII.

Quemadmodum ergo in Gallia & alibi locorum introducti Trapezitæ, qvos vocant BANCARIOS, & qui mercaturam argenti exercent, ipſisque publicis conſtitutionibus jura ſua habent; ita qvoqve cum olim *Italia* ſciſſa fuit in varios Principatus, ſingularum urbium Principes hoc etiam jus ſibi vindicarunt, ut Tapezitas ipſi inſtituerent, ac nemini liceret menſam erigere, niſi ex ipſorum præſcripto ac juſſu; Hinc & REGES *Hiſpaniæ*, & PAPA *ipſe*, DUCES item *Brabantiæ* & poſtea *illuſtres* ORDINES *Hollandiæ* & *Weſtfriſiæ*, qvin & ſingulares Urbes ſuis mandatis, legibus & autoritate hunc morem comprobarunt, atque propterea tam *Lombardi* eorumque miniſtri, quam præcipue Magiſtratus non modo excuſandi, ſed & propter praxin hanc impenſe laudandi ſunt: pertinet enim ad maximam commoditatem & minimam læſionem Ci-

 vium

vium, cum decore & emolumento eorundem; dirigitur ad ſublevandos pauperes, omnis commoda occaſio paratur mercaturæ & negotiis aliis, & fœneratoribus malis porta præcluditur iniquitatum. Felicitatem ergo, non vero incommoda ad *Belgas*, *NATIONES alias*, *Emporiaque* multa traducit Lombardorum ille mos, & cum factio *Guelphorum* ac *Gibelinorum* multa Italiæ bona, vid. ex SIGONIO, BLONDO, AVENTINO & aliis Dn. BUDDÆUS. in dem allgemeinen hiſtoriſchen Lexico, Sec. XII. diſſiparunt, *Belgis* & *Aliis* id commodum nemo invidebit, ubi nunc acceptis ditioribus incolis, pauperes etiam ſuos ſubditos ſublevare valuerunt; Nam ſcribo ex *Illuſtr. Dn.* STRYCKIO. l. c. §. 32. p. 141. ſ. Si magna pecuniæ quantitas *a ditioribus in commune confertur hoc fine, ut mutuum inde pro pignore qualicunque capere poſſint pauperes, & res ipſa his limitibus includitur, ut 1) ex hac pecunia ſuccurratur pauperibus indigenis, non exteris nec divitibus, 2) ad certum tempus, 3) ut detur pignus idoneum, 4) ut ſingulis menſibus aliquid minutim ſolvatur pro ſuſtentatione Miniſtrorum, quibus Montis hujus cura commiſſa & ita nihil exigitur ſub nomine uſurarum, ſed tantum impenſarum 5) ut tempore elapſo vendatur pignus, &, quod detracto debito & menſtruis illis præſtationibus ſupereſt, debitori redditur, tunc certe non damnandum, ſed laudandum potius Reipublicæ emergit inſtitutum, extat ſiquidem occaſio, qua quis, qui pecunia ad tempus eget, pro licitis uſuris eam habere poteſt, ita etiam via præcluditur uſurariis illis, qui non niſi ſub uſuris duplo centeſimis egenti civi ſuccurrere ſolent.* Nec qvicqvam ſupereſt, qvam ut Magiſtratus hujus publici emolumenti cautam habeat rationem, ne vel cives ipſi, vel etiam publicum defraudetur, & ſi fraus ac furta manifeſta evaſerint, adverſus iniquos tales ſeveriſſime decernant, quod non ita pridem Hamburgi factum eſſe omnes norunt.

## §. XXIV.

